





1113
ARCANA ATHEIS
BREDEN BURGH
D
47









JOANNIS BREDENBURGII

ENERVATIO

TRACTATUS THEOLOGICO-POLITICI;

Unà cum

Demonstratione, Geometrico ordine dispositâ,

NATURAM NON ESSE DEUM:

Cujus Effati contrario prædictus Tractatus unice innititur.



ROTERODAMI.
Apud Isaacum Næranum, Bibliopolam.
Anno 1675.


KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

PRÆFATIO.

LECTOR BENEVOLE.

CUm Scriptum, quod Tractatus Theologico-Politicus, &c. inscribitur, satis superque tum ex se ipso notum sit, tum præsertim quod Viri doctissimi, qui ejus confutationem aggressi sunt, copiosissime de eo disseruerint, hic aliquid amplius de ejus Natura, ejusque Authore præfari, plane supervacaneum videtur. Quocirca nihil aliud, quam Rationes, quæ me ad scribendum compulerint; nec non quarum judicio scriptum hoc meum subjiciam, seu quibus illud offeram, commemorare, necessarium puto.

Rationes, quæ me ad scribendum, quod alias nunquam antea in cogitationem venerat, impulerunt, partim in eò consistunt, quod viderem ac judicarem, in aliquibus Scriptis, quæ jam in publicum prodierant, vel brevi proditura mihi communicatum fuerat, memoratum Tractatum, meo quidem judicio, non ut debebat, excuti atque ad examen revocari: Etenim animadvertebam, eorum Authoribus genuinam Scriptoris nostri mentem nondum fuisse perspectam, eosque propterea in suis refutationibus extra scopum vagari, & magnis voluminibus ingenia confundere atque obruere, ac multarum rerum congestione Lectorum animos hinc inde distrahere, ita ut nullo ordinis vinculo coërceantur, nec expedita via ducantur ad principia, ex quorum cognitione facillimo negotio de hoc Tractatu existimare possent. Partim etiam illæ rationes fuerunt, quod Viros quosdam doctissimos, quos ejusmodi Confutationem, eò, quo decebat, modo ad umbilicum perducere posse nullus dubitabam, manus operi admovere non animadverterem: Ab una enim parte memoratum Tractatum, in quo omnem Religionem Deique cultum enervare atque subvertere summa ope nititur Author, solide atque nervose refelli debere, pernecessarium ducebam: ab altera vero Viros literarum doctrinæque studiis præstantes, atque adeò ad hoc negotium aptissimos, & quorum quoque sententia cum hujus Philosophi opinione adversis pugnat frontibus, in eò operam suam ponere, non videbam. Quare mearum partium esse putavi, id ocii, quod mihi mea concedebant negotia, huic Tractatui refellendo impendere: minime dubitans, quin utilitas, quæ ex hac mea confutatione, si modo soli-

da foret, redundaret in Christianismum, laborem meum longe exsuperaret; vel si alicubi defectuosa esset, ego saltem aliis exemplum zeli, ad Religionem sartam tectam conservandam, exhiberem, quo ad commodiorem solidioremque refutationem adornandam excitarentur. Ita ut Christianos hæc mea conamina æqui bonique consulturos, mihi plane persuadeam.

Opusculum igitur hoc, quod hunc in finem concinnavi, iis tantum Lectoribus dedico, qui cognitionem earum rerum, de quibus hic disputatur, sua multum interesse existimant, & præsertim quibus non grave neque molestum erit, tam Tractatus Theologico-Politico, quam huic ejus confutationi, legendis relegendisque plurimum operæ dare; nec non omnia, antequam judicium ferant, toto animo, totaque mente, reputare atque perpendere, donec penitus percepta atque perspecta fuerint. Ratio vero, propter quam non nisi jam laudatis ingeniis hanc meam Confutationem offeram, hæc sola est, videlicet quod experientia compertum habeam, præpostera perversaque hominum judicia magis ex eò provenire, quod ingenii sui accumine, ad imum rerum fundamentum, seu primum principium, non penetrent, quam quidem ex naturali intellectus imbecillitate aut ineptitudine. Etenim cum res pene omnes semper, per & propter aliud quid, id sint, quod sunt, ut quarum una ab alia dependet per concatenationem, secundum quam per proximas causas ascendendum est ad primum usque principium, à quo tota illa rerum concatenatarum series dependet; hinc sequitur, etiam rerum notitiam acquiri non posse nisi ad primum illud principium, à quo reliqua dependent, penetrando. Atque hinc fit, quod passim quilibet copiosam rerum scientiam habere sibi persuadeat, quia tam variæ res intellectui nostro occurrunt, de quibus illico judicium ferimus; cum interim in iis plane cæcutimus, imo sæpe quid claritas sit ignoremus. Etenim si, quando clare atque distincte quid percipimus, id nobis cognitum probe perspectumque foret procul omni dubio recte distinguere atque hac via firmo gradu ad illud fundamentum, in quo nulla amplius distinctio locum habet, descendere possemus. Quoniam vero ex hujus rei ignorantia sæpenumero, qui scripta nostra in publicum prodire permittimus, plurimum patimur ab eorum Lectorum judiciis, quibus libros levi manu percurrere in more positum est, aut qui tantum ex parte, vel nullatenus illos intelligunt, sicut hoc vulgari huic Versiculo consonum est;

Pro captu Lectoris habent sua fata libelli;
hinc istam tam magni momenti atque ponderis controversiam judicatum non nisi eos advoco, qui à prædictis impedimentis animum penitus liberarunt atque exuerunt.

Porro etiam nulla mihi accedet delectatio ex lubrico & cæco impetu sententiam meam comprobante assensu eorum, quibus, *quemadmodum habet Author Tractatus Theologico Politici sub præfationis suæ finem*, pertinaciter præjudicia in mente inhærent, & quibus impossibile est superstitionem adimere, & quorum constantia contumacia est, quique ratione non reguntur, sed impetu rapiuntur ad laudandum vel vituperandum. *Etenim ex hujus farinæ hominum applausu bonæ causæ nihil præsidii, nihil accedit splendoris, unde etiam illum susque deque habeo. Cum econtra magni faciam, & solummodo eorum judicium atque æstimationem exoptem, qui præjudiciorum superstitionisque jugum penitus animo excusserunt, & ingenii sui acumine profundisque cogitationibus in intima rerum & prima usque principia penetrarunt.*

Præterea quoque meam hanc Confutationem plurimis Christianorum haud placituram præsentisco atque prospicio, quoniam omnia particularia, nec non omnia S. Scripuræ loca, quæ in illo Tractatu occurrunt, ac perperam adducuntur, & præpostere explicantur, à me sigillatim non excutiuntur, ac vindicantur. Cum enim plurimi genuinum istius libri conceptum atque argumentum non perspiciant; sed solummodo S. Scripturam & res divinas hinc inde contaminatas as contemeratas distortasque reperiant, nec tamen ubi ipse lateat aculeus, quo pungit, animadvertant; hinc iidem insigniter oblectantur, quando ejusmodi in vulgus exire vident Scripta, in quibus omnia ista in speciem pugnantia atque distorta loca perbelle concilian-tur, & alio sensu commode explicantur, sibi ipsi persuadentes hoc modo hostem debellari & ex pugna victoriam reportari: Verum, quibus animus hac voluptate delinitus est, legant ij illum in finem libros, adversus memoratum Tractatum jam editos, & in iis procul omni dubio multifariam, qua cupiditatem suam explere queant, offendent materiam, cum omnia ibi sigillatim expendantur & refellantur. Peto autem solummodo, ne id quod aliis magis arridet, aspernentur, nempe talem confutandi modum, quo omnia illa particularia prætermittuntur, & quo duntaxat totus liber ad concatenatam synopsin atque compendium redigitur,

cujus

cujus adminiculo post in fundamenta omnium, quæ eis superstructa sunt solummodo inquiratur, ut, iis repertis, atque sublatis, non necesse sit totum illud ædificium à summo ad imum frustillatim, nunc tectum, nunc tabulata, nunc parietes auferendo, demoliri, sed subversione fundamentorum, uno ictu atque actu funditus pessum eat atque corruat.

Qui igitur Confutationibus hoc posteriori modo adornatis oblectantur quibusque istum in finem hunc meum laborem perpendere animus est, eos in antecessum præmonitos volo, ut meam memorati Tractatus Analiisin, quæ sub initium Confutationis meæ reperitur, attenta mente perpendant, nec ab ea desistant, donec penitus perspecta & qua ratione cum istius Tractatus natura conveniat cognitum fuerit. Etenim his probe intellectis atque perceptis, strata erit via ad judicium de tota mea Confutatione facile ac recte ferendum; quoniam in ea manifestissime ob oculos ponitur, quis sit Authoris conceptus atque scopus, & quomodo ad enim feriendum omnes ejus Dissertationes dirigantur, nec non quomodo earum plurimæ, ab unico dependeant principio; ita ut hujus meæ Anatomiæ atque Resolutionis notitia atque intelligentia præprimis necessaria sit.

Denique sciat etiam Benevolus Lector, quod, cum animi mei sensa latina oratione expromere me minus peritum sentirem, hanc meam Confutationem, vernaculo idiomate conscriptam, in istam linguam transferre curaverim, ut ita Adversario meo, hac in parte, ansam prætexendi excusationem, quo minus ad eam respondeat, subtraherem. De qua tralatione quoque tenendum, ejus Authorem sententiam meam in omnibus recte expressisse; & quidem eum in modum, ut, si facultatem latine scribendi, qua meus hic pollet Interpres, ipse haberem haud credam me meam sententiam melius, quam hic expressa est, expressurum fuisse. Quicquid igitur hic præstitum est, æqui bonique consulas, eoque ad accuratam Veritatis indagationem utaris. Me quod attinet, omnibus exopto votis, ut aliquando majoris eruditionis ingeniique perspicacioris Viri exsurgant, qui omni ex parte atque perfectius & accuratius illas omnem Religionem evertentes hujus Philosophi Theses refellant atque redarguant; quod ut faxit Deus Opt. Max. animitus precor. VALE.

BRE-

BREVIS ENERVATIO TRACTATUS THEOLOGICO-POLITICI,

Una cum

Demonſtratione, Geometrico ordine diſpoſitâ,

NATURAM NON ESSE DEUM.

UT profanum ædificium Libri, cui titulus Tractatus Theologico-Politicus &c. diſturbetur, ac deſtruatur; neque tamen ſimul neceſſe ſit, ad examen revocare, ac confutare omnia particularia, quæ magna copia in eo occurrunt, & quorum refutatio, meo quidem arbitratu, ſine incommodo prætermitti poteſt; ſufficere mihi videtur, ſi ſolummodo ejus fundamenta convellantur & radicitus diruantur. Nam quid expedit, magna animi contentione diſceptare de rebus, quæ ob fundamentorum, quibus ſæpe ab utroque contradicentium ſuperimponuntur, diverſitatem, etiam utrique occaſionem Adverſarium conficiendi præbent? Nihil profecto: cum omnes hujusmodi Diſputationes ſuâ naturâ nihil virium ſuppeditent, quibus alter alterius ſententiam aut labefactare aut evertere poſſit.

Quô igitur, quicquid ad confutationem jam memorati Tractatus non facit, prætereamus, res ipſa, rectusque ordo poſtulare nobis videtur, ut primo & præ omnibus inquiramus, tum in ſcopum, quem ſibi Author in ejus compoſitione præfixit, tum in Media, quibus ad eum conſequendum, uſus fuit; ut, his clarè & diſtinctè inveſtigatis, manifeſtum fiat, qua ratione nobis in Refutatione, quam præ manibus habemus, procedendum ſit. Nam per illa, quæ Author in Præfatione ſuâ de ſcopo ſuo, nec non de ſpecialibus ſuis Diſſertationibus adfert, hæc noſtra inveſtigatio nec ſupervacanea nec fruſtranea redditur, ſaltem quod me ſpectat.

Etenim quam attente ea, quæ inibi illâ de re occurrunt, perpenderim, non tamen perſpicere queo, Authorem eò loci fundamenta ſuarum Diſſertationum, nec non qua ratione, iis inſiſtendo, ſcopum ſibi præfixum feriat, tam clare & diſtinctè expreſſiſſe, ut ſecundum illa, eò, quo decet, ordine Refutatio illius Tractatus inſtitui queat. Ac propterea neceſſarium eſſe putavi Ejus conceptum, quemadmodum iſte ſecundum illius Diſſertationes & Concluſiones proprie, quamvis obſcure, in eo reperitur, enucleare & eruere, quò non ſine fundamento ad ejus Refutationem nos accingamus.

Ut igitur memoratum Tractatum debite evolvamus & explicemus, proœmii loco clare & ſimpliciter, pro noſtro captu, rude ejus lineamentum exhibebimus, quo unuſquisque, poſtquam ſic aliquam ejus formam & imaginem mente conceperit, aptior reddatur ad judicium, tam de noſtra ejus explicatione, quam ſubſecutura Refutatione, ferendum.

Dicimus igitur: Scopum Authoris in ſuis Diſſertationibus eò ſpectare, ut firmis rationibus oſtendat, Libertatem Philoſophandi, & hinc ortam cognitionem Naturalem, ſeu quod Philoſophando cognitum eſt, divulgandi, & liberè profitendi, cum Reipublicę pace & ſalute ſubſiſtere poſſe; Ac propterea Libertatem Philoſophandi cuilibet concedi debere: Atque hæc hoc modo colligit, quod ab una parte ſummis Reipublicæ Poteſtatibus competere dicat Jus decernendi, tam circa res Politicas, quam ſacras ſive Religionis, hoc eſt, Jus ſtatuendi, quid proprie pro Religione habendum ſit, nec non Jus determinandi, quo modo Religionis officia, ut Juſticiæ, Charitatis, Patientiæ, & ſimilium, ſint exſequenda. Ab altera verò parte, quod ſubditis omnem obedientiam Magiſtratui præſtandam eſſe velit, tam in rebus Politicis, quam in Religione ſuſcipienda, & ſacris obeundis. Ex qua Juris Magiſtratus & Officii ſubditorum combinatione clare conſequitur, in ſubditis Libertatem Philoſophandi, imo etiam, eo reſpectu, ipſi Magiſtratui copiam ſuorum conſiliorum faciendi, nequaquam Reipublicæ paci noxiam eſſe, quoniam Magiſtratui obedientiam, ſi quando ſubditorum conſilia non probat, nullo modo detrahit.

Quoniam verò Jus hoc decernendi & determinandi, tam circa Politica, quam Sacra, Magistratui attribui nullo modo potest, nisi prius duo præmittantur, ex quibus tale Jus summis Potestatibus competere sequatur, & plene demonstretur, hinc Author viam stravit ad duas Conclusiones, ut ex iis hanc tertiam, nempe, summis Potestatibus prædictum hoc jus competere, legitime deducere posset.

Prima & omni ex parte præcipua, cujusque Refutatio nobis sola necessaria videtur, in eo sita est, quod Deus nullum speciale Regnum, separatum à regno summarum Potestatum, inter homines obtineat, hoc est, tale Regnum, per quod homines ullatenus, præter obedientiam Magistratui debitam, Deum colere & timere teneantur, quò aut ab eo speciale præmium consequantur, aut constitutam ab eo pœnam evadant; ita ut nullum speciale Regnum inter homines obtinere, proprie sit, respectu Dei, nullas virtutes neque peccata, nullam providentiam neque directionem, ut & nullum præmium neque pœnam, consideranda esse. Etenim si Deus speciale Regnum, in quo omnia hæc locum habent, inter homines obtineat, nullo modo tertia conclusio sequitur, nempe, Jus circa Sacra decernendi, ad summas pertinere Potestates.

Altera Conclusio securitatem imperii concernit, & necessariò huic primæ annectenda erat, quia non immediate sequitur, Deus non obtinet speciale inter homines Regnum, ergo Magistratui competit jus decernendi circa res Politicas & Sacras. Si enim Subditi, in suo statu naturali, considerari nequeunt, tanquam omne de se suisque decernendi jus Magistratui ad imperii securitatem obtulisse, nequaquam summis Potestatibus prædictum jus competit; quamvis Deus speciale inter homines Regnum non obtineat. Ac proinde etiam necessarium erat, præter ea, quæ in prima Conclusione continentur, ostendere probareque, homines in statu suo naturali, ad securitatem imperii procurandam, necessario constringi, ut omne jus circa utrumque decernendi in summas Potestates conferant.

Enim verò, quoniam consilium nostrum non est, ullo modo secundæ hujus Conclusionis Tractationi immorari, cum, quic-

quid de eâ dissertatum est, à nobis, si prima vera sit, citra ullam difficultatem concedi queat; solummodo nos ad Primam conferimus, quam quoque ejus naturæ esse reperimus, ut, antequam illa colligi queat, firma ratione ostendatur, nullam in Rerum naturâ proprie dictam Religionem, aut Deo obligationem esse. Unde etiam Author, quemadmodum id res exigit, duabus eò tendentibus viis procedens, id ipsum comprobare conatus fuit; ab una parte ostendens (at suo modo) omnes vulgatas Revelationes proprie dictam Religionem non comprehendere; sed solummodo ad captum vulgi accommodatas esse, ut ille per devotionem contineatur, & ad salutem Reipublicæ ducatur: ab altera verò parte arguens, in Philosophia, quæ apud omnes pro Regno veritatis habetur, tales speciales veritates doceri, ex quibus necessario, & rationibus omni exceptione majoribus evincitur, in statu naturali nulla peccata, nec Deum, tanquam Judicem, qui peccata puniet, concipi posse. Atque hæc sunt fundamenta primæ istius Conclusionis.

Omnes autem hujus Tractatus Dissertationes, pro ut nos assequi potuimus, in eum modum, quem jam declaravimus, conscriptę sunt, vere tendentes ad omnem Religionem funditus evertendam atque abolendam. Quod ut manifestum faciamus, ac eadem opera quoque eruamus id, cujus Refutatio sufficere valeat huic præfano ædificio destruendo, simulque Religionibus restaurandis, solide illud ac distincte ex propriis ipsius rationibus, nec non methodo deducere, ac unicuique ab oculos ponere conabimur.

Ut igitur primò ostendamus, nos Authoris scopum, & quicquid ad illum feriendum producit, recte percepisse & expressisse, unicuique commendatum volumus, ut respectu scopi, quem in primo nostræ explicationis membro proposuimus, legat ultimum Caput Tractatus Theologico-Politici integrum, ubi ipsum hunc scopum, tanquam totius Libri, Conclusionem, clare & aperte expressum & scriptum inveniet.

Conclusionem verò, quam respectu duarum præcedentium tertiam nuncupavimus, utpote fundamentum Illationis, quæ ultimo Capite reperitur, habet Author, Cap. 19. Pag. 222. his verbis.

verbis. *Sive igitur rei veritatem, ſive imperii ſecuritatem, ſive denique pietatis incrementum ſpectemus, ſtatuere cogimur, Jus etiam divinum, ſive Jus circa Sacra à decreto ſummarum Poteſtatum abſolute pendere, eaſque ejusdem interpretes eſſe ac vindices: Ex quibus ſequitur, illos Dei verbi Miniſtros eſſe, qui populum ex authoritate ſummarum Poteſtatum pietatem docent, prout ipſa ex Earum decreto Publicæ utilitati accommodata eſt.*

Tria in his verbis ſuæ Concluſioni præmittit Author, nempe *veritatem rei, ſecuritatem imperii, & incrementum pietatis;* quorum poſtremum in explanatione naturæ Tractatus non notavimus, idque hac de cauſâ, quod Authorem in iis omnibus, quæ circa id in medium protulit, non niſi nugari putavimus, cum prorſus ineptum atque alienum ſit agere de *pietatis incremento*, quando Deo ſpeciale inter homines Regnum, & conſequenter hominibus omnem Religionem ſubduxerit, unde illi, tanquam cavillo, aliquantillum inhærere ſupervacaneum duximus.

Quod verò alterum, quod præmittit, ſpectat, *imperii* putà *ſecuritatem*, illi etiam aliquid temporis impendere conſultum non putavimus; idque ideo ſolum, quia ejusmodi Tractatio examen non meretur, niſi poſtquam ſolide demonſtratum eſt, ita cum omni Religione comparatum eſſe, ut etiam, reſpectu Dei, eam *Reipublicæ utilitati, imperiique ſecuritati* accommodare liceat: Etenim ſi illud, reſpectu Dei, illicitum ſit, conſequitur, etiam, eam *utilitati Reipublicæ* accommodare propter *imperii ſecuritatem*, minime licitum eſſe.

Hinc itaque manifeſtum evadit, omnem vim Concluſionis in Trium, quæ præmittit, Primo conſiſtere, nempe in *rei veritate*; unde conſequenter ſolum examen hujus Primi (hoc eſt, qua ratione Author oſtendat, rem eo, quem hîc illius exigit Concluſio, modo ex veritate ſe habere) toti huic Controverſiæ omni ex parte ſatisfacere videtur.

Ut igitur debite expiſcari poſſimus, in quo proprie vis probationis Authoris, de hujus rei veritate ſita ſit, accurate attenteque nobis perpendenda videntur, quæ ab eo, Pag. 215, 216, & 217. dicuntur & diſſertantur: Nam eo locorum non tantum eadem illa

Conclusio denuo proponitur, idque respectu hujus primi præmissi, in se solo spectati: sed etiam ob duplicis generis Rationes infertur, quas Author nobis dictis locis innuit, nempe ob rationes, quæ CAP. 16. in dissertatione de statu naturali allatæ fuerunt, & ob rationes, quæ CAP. 4. in dissertatione de Lege Divina occurrunt, ita ut horum omnium vis in duabus istis dissertationibus sita sit; unde etiam illæ nobis ulterius diligentiusque expendendæ veniunt.

De prima Dissertatione eum Pag. 215. hunc in modum loquentem legimus: *Ostendimus* CAP. 16. *in statu naturali non plus juris rationi, quam appetitui esse; sed tam eos, qui secundum leges appetitus, quam eos, qui secundum leges rationis vivunt, jus ad omnia, quæ possunt, habere. Hac de causâ in statu naturali peccatum concipere non potuimus, nec Deum tanquam judicem, homines propter peccata punientem; sed omnia secundum leges universæ naturæ communes ferri; & eundem casum (ut cum Salomone loquar) justo ac impio, puro ac impuro &c. contingere, & nullum locum Justitiæ, nec Charitati esse.*

Quod si CAP. 16. legitime ostendatur & demonstretur id, quod hic ibi ostensum & demonstratum esse dicitur, idque ex eo, quod Theologia revelata, de qua antea egit, non sit Regnum Veritatis, sed duntaxat devotionis & pietatis; fateor illud, quod hic concludit, pro vero & indubio habendum atque assumendum esse: quapropter etiam nos ad CAP. 16. conferimus, ut ejus robur perpendamus atque intelligamus.

Nihil autem in hoc CAP. 16. reperimus, quod huic Conclusioni aliquid virium suppeditare queat, nisi duntaxat id, quod Pag. 175. his verbis exprimit. *Certum est naturam absolute consideratam Jus summum habere ad omnia quæ potest, hoc est, jus Naturæ eo usque se extendere, quo usque ejus potentia se extendit; Naturæ enim potentia ipsa Dei potentia est, qui summum jus ad omnia habet: sed quia universalis potentia totius Naturæ nihil est præter potentiam omnium individuorum simul, hinc sequitur, unum quodque individuum jus summum habere ad omnia quæ potest, &c.*

Quod si vis hujus loci bene perpendatur, dilucide apparet, totum fundamentum, cui innititur, quod omnia individua ad

omnia quæ possunt, jus habeant; & quod consequenter in statu naturali nulla peccata, neque Deus tanquam Judex, qui peccata puniet, concipi possint; & quod hinc porro, propter imperii securitatem, summis Potestatibus jus competat etiam circa sacra decernendi; totum, inquam, horum omnium fundamentum esse, *quod Naturæ potentia ipsa Dei potentia est*, hoc est, Deo nullam aliam potentiam inesse, quam Naturæ insit: Nam, si Deus potentiam habeat in individua præter naturalem individuorum potentiam, omnia prædicta minime sequuntur, quoniam eo pacto certum est, ipsum Deum circa Sacra & Politica decernere posse & potuisse, imò fortasse propter Creationem debuisse: & consequenter in statu naturali peccata, & Deum tanquam judicem, qui peccata puniet, concipi posse: Ita ut solummodo ad examen revocandum sit, *An potentia Naturæ Dei potentia sit*, & econtra, *Utrum omnis Dei potentia in Naturæ potentia consistat, nec ne.* Ac propterea, quoniam horum examen solum nobis incumbit, perpendamus ac inquiramus, quomodo hic Philosophus probet, Naturæ potentiam Dei potentiam esse, ut ita vim ac fundamentum omnium infringamus atque evertamus.

Mihi, allegatum locum cum omnibus suis circumstantiis legenti & relegenti, nihil, quod ad ejus confirmationem facit, præter hoc unicum occurrit, *Nam potentia Naturæ est ipsa Dei potentia, qui jus habet ad omnia:* unde etiam animum meum maxima subit admiratio de temeritate hujus Theseos, cum nec vola nec vestigium ullibi reperiatur ad istius confirmationem, quæ nihilominus fundamentum, cui totum innititur ædificium, in se comprehendit: idque eo magis quoniam nullibi, ne verbulo quidem indicatum occurrat, ubinam argumenta hanc veritatem stabilientia reperiri queant: ita ut verè omnia ad hoc unicum punctum redeant, nullam aliam ab rationem credendum esse, *Naturæ potentiam ipsam Dei potentiam esse*, quàm quia Philosopho nostro ita dictare placuit. Quod tamen minime consultum esse putamus. Sed verò ubinam ejus argumenta indagabimus, ut hujus Tractatus vim justæ examinis stateræ appendamus? Nulla nobis se commodior videtur offerre via, quoniam abstrusus hujus libri sensus,

ſus (quemadmodum in literis, occultis characterum notis, ne ab unoquoque legi poſſent conſcriptis, fieri conſuevit) arte & labore eruendus eſt, quam ſi revertamur ad locum, qui habetur P. 217. cujus occaſione nos ad jam ante memoratum locum contulimus. Ibidem enim etiam mentio fit CAP. 4. atque inſuper aſſerit Author, eò loci veritatem ſuæ Concluſionis clarius explicatam occurrere: qua propter forſan hoc capite rei veritatem debite confirmatam atque demonſtratam reperiemus.

Hoc autem CAP. 4, dum percurrimus, tres ibi nobis occurrunt Diſſertationes, ſeu Diſquiſitiones, quarum Prima agit de Lege Divinâ: Alterâ inquiritur An Deus lumine naturali velut Legislator, & Dominus ac Princeps ſuarum actionum conſiderari poſſit: Ultima vero oſtenditur quid de lumine hoc naturali, deque lege divina naturali S. Scriptura doceat. Quas binas priores diſſertationes dum accuratius inſpicimus, notamus, Authorem in primâ conatum eſſe oſtendere, in cognitione rerum Naturalium cognitionem Eſſentiæ Dei conſiſtere, & conſequenter omnes noſtras cognitiones, eſſentiæ Dei cognitiones eſſe. In altera verò Dei intellectum & voluntatem unum & idem eſſe, atque adeo illum ex neceſſitate ſuæ naturæ agere. Atque hinc, has diſſertationes adhuc ulterius perpendentes, clare & diſtincte percipimus, ex eô, quod Dei intellectus & voluntas unum & idem ſunt, neceſſario ſequi, Res naturales Dei eſſentiam, reſpectu ſuæ eſſentiæ & perfectionis, involvere & exprimere, vel reſpectu ſuæ eſſentiæ & perfectionis ex Dei eſſentia emanare: & ſic porrò potentiam Naturæ ipſam Dei potentiam eſſe, ac propterea Deum lumine naturali, nec tanquam Legislatorem, nec tanquam judicem, qui peccata puniet, conſiderari nec concipi poſſe. Unde denique ſequitur, omne jus circa ſacra decernendi ad ſummas pertinere Poteſtates, quò omnia ad ſalutem populi, utilitatemque Reipublicę accommodentur.

Hinc igitur manifeſte intelligitur, fundamentum omnium eorum, quæ Philoſophus noſter, tam in CAP. 16. quam in ſubſequentibus uſque ad finem ſui Tractatus diſſertavit, ſolummodo inniti his duabus primis, vel potius uni duarum poſteriori Diſſer-

Dissertationi seu Disquisitioni, CAP. 4. Quamobrem etiam ad Confutationem omnium prædictorum nihil aliud requiritur, quam ut vis illarum duarum Disquisitionum plane enervetur, atque invertatur.

Attamen, quandoquidem hæc Thesis, Dei nempe intellectum & voluntatem unum & idem esse, proprie Philosophici est fori, atque ideo etiam Philosophicum requirit examen; non videtur natura Disquisitionum Authoris nobis etiamnum permittere, ut ad illius examen nos accingamus, idque ea de causa, quia Philosophus noster omnia ea, quæ à CAP. 16. usque ad calcem libri in medium protulit & quorum fundamentum in prædicta Thesi situm est, adduxit atque deduxit, postquam Theologiam revelatam, non tanquam regnum veritatis, sed solum tanquam regnum devotionis & pietatis considerari debere jam nunc statuerit, & probare conatus fuerit. Ac propterea etiam hæc Controversia, nempe, An Theologia revelata solummodo regnum devotionis & pietatis, an vero præterea etiam regnum veritatis sit, manet fundamentum istius Thesios Philosophicæ; attamen non ea ratione ac modo, quo illa Thesis fundamentum est omnium aliarum istarum dissertationum: Nam veritas harum posteriorum dissertationum dependet à veritate hujus Philosophicæ Thesios seu Effati, cum veritas hujus Philosophicæ Thesios non dependeat à veritate alterius illius Controversiæ: ita ut hæc Controversia Theologica fundamentum sit reliquarum, ea solummodo de causa, quia Author ex præsupposito Authoritatis S. Scripturæ voluit ostendere, Theologiam tantûm esse regnum devotionis, & non veritatis; unde clare consequitur, nos non tantum de ea Controversia priori locò agere debere, vestigiis insistendo, quæ, nobis viam monstrando, facere placuit Philosopho nostro: sed etiam, quia, si probari possit, Theologiam, quatenus eam nobis S. Scriptura tradidit, non tantum tanquam regnum devotionis, sed etiam veritatis haberi debere, jus circa Sacra decretandi summis Potestatibus non competit: Etenim si in Scriptura nobis quædam, tanquam veritates seu vera dogmata proponuntur & traduntur, sine dubio etiam consequitur, Deum speciale regnum, separatum à regno summarum Potestatum, inter homi-

nes obtinere, & ipſum circa Sacra decernere, atque adeo Jus circa Sacra decretandi ad populi ſalutem & Reipublicæ utilitatem ſummis Poteſtatibus non competere.

Atque hinc quidem intelligimus, ſi à nobis oſtendatur, Revelatam Theologiam à Philoſophia ſeparari non poſſe, quoniam illa in totum tanquam regnum devotionis & pietatis conſiderari nequit, exiſtimandum eſſe, nos plene huic negotio ſatisfeciſſe: Nihilominus, quamvis hoc ſufficere poſſet, conabimur tamen oſtendere, etiam iſtud Philoſophicum fundamentum ab Authore nequaquam comprobatum eſſe, ut ab ea quoque parte omnia nullo firmo tibicine ſubnixa eſſe, manifeſtum fiat: atque hoc majore cura & acriore ſtudio præſtare conabimur, quia ipſius rei natura nos ſatis docet, quamvis etiam ipſæ Authoris rationes argumentaque e S. Scriptura in medium producta, ad ſeparationem Theologiæ à Philoſophia convincendam, infirma fruſtraneaque reperirentur, vi tamen atque efficacia veritatis hujus Philoſophicæ Theſios ſequi, S. Scripturam omneſque Revelationes fictas eſſe, atque excogitatas, ad vulgum, tanquam equum freno, coercendum, & ad ſalutem Reipublicæ ducendum: Ex quibus denuo ſequitur, omne jus circa Eas res ſacras confictas decretandi in ſummas Poteſtates confluere: Et ut omnia in ſummam contraham, atque uno verbo exprimam, Hanc Philoſophicam Theſin omni ope refellere enitar quoniam per illam omnes, quæ unquam in rerum natura extiterunt, Religiones funditus diruuntur atque evertuntur.

Huic accedit, quod non parum urget ad hoc Philoſophicum fundamentum manibus pedibusque disjiciendum, nempe quod Author videatur ſtudio hoc ipſum, nec loco convenienti, nec ordine diſtincto afferre voluiſſe: ſed ut, quaſi ex Authoritate S. Scripturæ argumentando, interim quid interſpargeret & miſceret, quo etiam intelligentibus vim authoritatemque ipſiusmet ſcripturæ eriperet, atque enervaret; ac ita indirecte atque in tranſitu oſtenderet, omnes illas S. Scripturæ, vel ejus authoritati innitentes diſquiſitiones, ab eo non niſi in ſpeciem fuiſſe allatas, ne univerſo Chriſtianiſmo nimis aperte offenſam daret, ac Religionem Chriſtianam profanaret. Nam admiratione digniſſimum eſt, quam

quam confuse & extra rhombum dissertationes Cap. 4. comprehensæ inter cæteras de S. Scriptura interjectæ sunt. Quæso; exquisitum ejus ordinem paulum ventilemus. Author occupatus est seriatim ostendere, quo modo omnia quorum Theologiam concernentium in S. Scriptura mentio fit, accommodata sunt ad captum, & præconceptas hominum opiniones, ad eos non secundum veritatem, sed per devotionem ducendos ad Reipublicæ salutem, ut exinde posset concludere, revelatam Theologiam, non tanquam regnum veritatis, sed tanquam separatam à Philosopia, quæ regnum veritatis est, considerari debere; & in Earum dissertationum medio, interponit dissertationem, quæ agit de particulari quadam Philosophica cognitione; quæ sane illi loco nequaquaquam convenire potest, quia postea & quidem Cap. 15. disputat, atque adstruit, Scripturam per Philosophiam exponi atque explicari non debere: Nam *illa duò*, nempe *Scriptura & Philosophia*, inquit ibi, *a se invicem non reguntur*: ita ut disquisitiones Philosophicæ, & eæ quæ de S. Scripturâ agunt, in istius cujus hic est, naturæ Tractatu, non nisi admodum inepte & confuse inter se commisceri possint.

Quibus adjungamus, Authorem, dum de separatione Theologiæ à Philosophia agit, de illâ eatenus agere, quatenus Philosophia in universum & absolute, tanquam regnum veritatis, consideratur, & non quatenus ista particularis Thesis veritas Philosophica sit: Nam prorsum nihil facit ad prædictam separationem, quasnam veritates Philosophia doceat, aut complectatur; Solummodo ad eam aliquatenus conducit, Philosophiam absolute consideratam, absque restrictione ad has illasve veritates, regnum Veritatis esse: Quod cum apud omnes in confesso sit, manifestum apertumque evadit, istam Cap. 4. dissertationem illi loco, cui interjecta est, nequaquam quadrare, quoniam demum genuinus ejus locus inter Capita 15 & 16. ut jam antea indicavimus, occurrit.

Sed his ab Authore opponi posset, ipsum ad hanc dissertationem eo loci interponendam coactum fuisse, quoniam absque eorum quæ in eâ ostenduntur, cognitione, non poterat deducere, neque

ostendere, quidnam de Miraculis sentiendum esset; unde ista dissertatio illi loco non tantum conveniebat, sed etiam pernecessaria erat.

Atque hæc objectio alicujus momenti videtur, cum memorata dissertatio necessario dissertationi de Miraculis præmittenda fuerit; Neque enim eò adduci possum, ut credam, tanto ingenii acumine Authorem pollere, ut ex ipsamet Scriptura ostendere posset, ita cum Miraculis comparatum esse, quemadmodum ex hujus fundamenti consequentia consideranda veniunt. Attamen nequaquam ipsi à Scriptura abeundum erat, quia sibi ex S. Scriptura, in se ipsa considerata, neque ullatenus autoritate, qua ipsi credere tenemur, privata, demonstrandum in manus sumserat, illam nullibi ullas veritates, aut aliquid tanquam veritatem docere & tradere, sed omnia ad captum, & præconceptas hominum opiniones, accommodata habere: Ac propterea, quoniam Author soli Scripturæ, in se ipsa consideratæ, non adhæsit, sed ab ea discessit, non tantum sequitur, hanc dissertationem extra rhombum esse, sed etiam Authorem eâ authoritatem Scripturæ sibi penitus confregisse: Non enim aliter consideranda venit hæc Dissertatio, nisi ut Norma, ad quam quicquid in S. Scriptura reperitur exigendum est, atque dirigendum; cum Author Pag. 77. aperte & admodum expresse testetur, *Omnia, quæ in Scriptura narrantur vere contigisse, ea secundum leges Naturæ, ut omnia, necessario contigisse, & si quid reperiatur, quod apodictice demonstrari potest, legibus Naturæ repugnare, aut ex iis consequi non potuisse, plane credendum id à sacrilegis hominibus Sacris literis adjectum fuisse.* Nam ex hoc loco consequitur, vim authoritatemque Scripturæ, circa Miracula, non tantum eo fundamento esse subversas, quoniam Author firmissimum, quod adversus ipsum, circa Miracula, ex S. Literis produci posset, effugio hoc, quod à Sacrilegis hominibus adjectum fuisset, subterfugeret; sed etiam circa omnia alia, quæ S. Paginis continentur: Cur enim magis illicitum foret, circa Revelationes, circa Dogmata & Præcepta, nec non circa Præmia à Christo, & ab omnibus Prophetis promissa, ex hoc fundamento asserere, nil nisi figmenta esse, & omnes Prophetas, ipsumque

que Christum deceptores, aut deceptos fuisse, quam circa Miracula, ea à Sacrılegis hominibus S. Literis adjecta fuisse: Non enim unum magis quam alterum repugnat huic fundamento, ac idcirco utrique æqualiter convenit: Ubi enim eadem ratio, ibi quoque idem jus.

Hinc autem satis evidenter consequitur, imo omni exceptione majus fit, aut hoc fundamentum in disceptatione de Miraculis nullam habere vim, ut præter rationem insertum; atque adeo S. Scripturam, respectu Miraculorum, omnem suam Authoritatem retinere prorsus imminutam, ut ex ea contra Authorem in Controversia de separatione Theologiæ à Philosophia argumentari liceat: aut Scripturæ Authoritatem plane subversam atque deletam esse; atque adeo omnes hujus Tractatus dissertationes, quæ S. Literarum Authoritati superimpositæ sunt, unica hac exceptione confutatas, ac redargutas, imo meras nugas factas esse. Atque hoc est, quod his ostendere intendebamus.

At vero, quamvis hic eò usque jam progressi simus, ut omnes ejus, quæ de *S. S*criptura agunt, dissertationes jure negligere liceat, utpote quæ non merentur ut nobis vel tantillum negotii facessant; atque adeo recta pergere, & absque ullo impedimento nos conferre possimus, ad Thesin illam Philosophicam, quæ omnium fundamentum est, subvertendam, ut porro reliquum ædificium pessum eat atque corruat: Nihilominus tamen in Authore nostro refellendo non parcis, sed liberalioribus esse placet, ejusque confusionem ordinemque præposterum sequendo, primo inquiremus, quibus rationum machinamentis asserat, adstruatque, Theologiam tantum esse regnum devotionis atque pietatis, eam ex hoc præsupposito à Philosophia separando; & his ejus rationibus infirmatis, atque confutatis, ipsi ulterius demonstrabimus, Theologiam in universum, tanquam regnum devotionis, considerari neque posse, neque debere, atque adeo illam etiam eo respectu à Philosophia minime separandam esse: atque hoc eum in finẽ, ut ex iis porro concludere possimus, Deum speciale inter homines regnum obtinere; ac propterea jus circa sacra decernendi ad utilitatem Reipublicæ summis nequaquam competere Potestatibus. Atque

hinc ulterius pergendo, ſecundò, eodem modo ac methodo, de altero ejus Fundamento, vel, ut clarius loquamur, de Fundamento omnium arbitrabimur, quo Chriſtianorum Religionem, quam penitus deſtruere omni ope conatur hic Philoſophus, ab ejus telis ſartam tectam conſervare queamus.

Quod autem ad Primum attinet, videtur tantummodo, ſeu imprimis vis ac robur CAP. 13. expendenda ac trutinanda eſſe; quippe à quo ſolo totius de Religione Controverſiæ deciſio dependere videtur, ſecundum ea, quæ nobis Author Pag, 154. hunc in modum expreſſa exhibet: *Etſi hæc unusquisque, uti diximus, jam facile videre poteſt, tamen, quia hinc totius Religionis deciſio pendet, rem totam accurratius oſtendere, & clarius explicare volo.*

Ex hoc igitur loco intelligimus, omnem iſto in Capite ſitam eſſe vim atque efficaciam, quam adſtruendæ memoratæ ſeparationi Theologiæ à Philoſophia in medium adducere valuit Author; quippe hic illud *accuratius oſtendet*, ut inquit, *quia illinc totius Religionis deciſio pendet:* ac propterea etiam, ſi hoc infirmatum fuerit, omnia reliqua, reſpectu noſtri Philoſophi, infirmata eſſe exiſtimandum erit.

Hoc igitur Capite oſtendere contendit Author, *S. S*cripturam nihil aliud intendiſſe, quam obedientiam docere, atque promovere: quamobrem etiam omnia, in quibus proprie Doctrina obedientię non conſiſtit, accommodata ſint ad captum, præconceptasque hominum opiniones, ut ſic quibuscunque viis atque mediis, omni veritatis & falſitatis conſideratione poſthabitâ, ad obedientiam ducerentur; utpote cum, quacunque etiam ratione id præſtetur, ſatis ſuperque præſtitum ſit, dummodo homines obedientiam amplectantur.

Negandum ſane non eſt, quod ſi, quod dictum eſt, certis firmisque argumentis comprobetur, non parum hoc ad memoratam ſeparationem Theologiæ à Philoſophia adſtruendam profuturum: unde nobis quoque accurate examinandum atque excutiendum, quicquid eum in finem ab Authore in ſcenam producitur

Caput igitur hoc perlegentibus, ac bene perpendentibus nobis non niſi unicum occurrit Argumentum, conſtructum ad probandum,

dum, S. Scripturam nihil aliud intendere, quam docere obedientiam; cujus tota vis atque efficacia in sola remotione aut eversione alterius membri in Syllogismo Disjunctivo consistit; sic enim argumentatur Philosophus: Quia S. Scriptura non intendit docere scientias atque disciplinas, ergo solum intendit docere obedientiam. Hunc autem in modum argumentari, manifestum evadit ex Pag. 154. ubi sequentia leguntur. *Quænam ea* (nempe Scripturæ fundamentalia, de quibus loquitur) *sint, & qua ratione determinentur, hic ostendere constitui, quod nobis jam facile erit, postquam novimus, Scripturæ intentum non fuisse scientias docere; hinc enim facile judicare possumus, nihil præter obedientiam eandem ab hominibus exigere, solamque contumaciam, non autem ignorantiam, damnare.*

Ut verò judicium ferre queamus, num Argumentum hoc satis firmum sit, atque etiam num Author eo stabilito legitime progredi possit ad Fundamentalia S.Scripturæ, *ejus respectu*, determinanda; nobis confirmatio alterius membri præcedentis Syllogismi, nempe *Scientias docere S. Scripturæ intentum non esse*, accurate examinanda venit, utpote à qua totius de Religione Controversiæ decisio dependet.

Author eum in finem duo sibi probanda proponit, ex quibus postea hanc Conclusionem legitime elici atque formari posse arbitratur; unum scilicet, intellectivam atque accuratam Dei notitiam omnibus fidelibus non esse communem: alterum vero, omnes eas cognitiones, quas Deus per Prophetas ab omnibus hominibus universaliter exegit, & quas quisque habere tenetur, solummodo consistere in cognitione Divinæ justitiæ & charitatis.

Cum autem hæc, quæ hic noster Philosophus sibi comprobanda proponit, exacte perpendo, nequaquam inficias ire possum, quæstioni, istis solide demonstratis, respectu memoratæ separationis Theologiæ revelatæ à Philosophia, plane ac plene satisfactum fore, propter nempe veritatem specialis suæ Thesios Philosophicæ, ex qua sequitur, Deum nec justitiam nec charitatem exercere, neque exercere posse: clare enim atque evidenter consequitur, revelatam Theologiam non esse regnum veritatis, si illa ab omnibus hominibus universaliter nullam aliam exigat cognitionem,

nem, quam Divinæ justitiæ atque charitatis, quæ secundum prædictam Thesin non cognitiones veritatum, sed è contra falsitatum sunt. At ab altera parte eadem etiam claritate sequitur, Revelatam Theologiam non tantum regnum devotionis & pietatis, sed etiam veritatis esse; si scilicet, ista specialis Philosophica Thesis, cujus jam ante mentionem fecimus, falsa esse deprehenditur: tunc enim sequitur, revelatam Theologiam, quamvis etiam illa nullam aliam cognitionem ab omnibus hominibus universaliter exigeret, præter solam Divinę justitiæ atque charitatis cognitionem, etiam veritates docere, atque ea de causa à Philosophia in totum separari non posse. Unde, si proprie prout rei natura exigit, hoc cum Philosopho congrediendum nobis foret, totius de Religione Controversiæ decisio ex veritate aut falsitate hujus Philosophicæ Thesios esset deducenda atque formanda. Sed quoniam ipse suum Tractatum in omnibus partibus confusum conscribere voluit, à via, qua præivit, non deflectemus, in medio relinquentes, num Philosophica hæc Thesis vera sit an falsa.

Authori igitur largiendo; non autem ob prædictas rationes assentiendo, ipsum per solidam duorum supra memoratorum demonstrationem huic quæstioni plene satisfacturum esse; expendamus, num illius argumenta certa ac solida, an vero secus existimanda sint.

In Prioris probatione multûm diuque cogitationem nostram ponere operæ pretium esse non putamus, quoniam res est ita plana ac per se cognita, ut ne concipi quidem possit, quemquam, ad ejus veritatem agnoscendam, argumentis ullis adigi debere. At vero hoc duntaxat circa illam adnotandum venit, hanc veritatem; videlicet, omnibus Fidelibus accuratam Dei cognitionem communem non esse, nihil ponderis addere aut demere probationi, qua adstruitur, Scripturæ intentum non esse scientias docere: Nam, quæso, quænam hic reperitur consequentia, Intellectiva atque accurata Dei cognitio omnibus Fidelibus non est communis, Ergo scriptura non intendit scientias docere? Ne minima quidem hic locum habet sequela, imo duo hæc membra nullam ullibi connexionem inter se habere videntur. Nam si accurata

Dei

Dei notitia non omnibus fidelibus communis est, & eo non obstante iidem pro vere fidelibus, Deoque gratis habentur, hinc nihil aliud sequitur, quam *S. Script.* ab omnibus hominibus intellectivam & accuratam divinæ essentiæ cognitionem (nam de hujusmodi notitia hic sermo est) sub pœna salutis amittendæ non exigere: Adeo ut vel hinc nullo modo sequatur, *S.* Literas non intendere, accuratam Dei notitiam docere, quoniam hæc duo, scilicet accuratam & intellectivam Dei docere cognitionem, & accuratam Dei cognitionem ab omnibus Fidelibus exigere, sub pœna salutis amittendæ, multum inter se discrepant: Et idcircò exinde adhuc multo minus sequitur id, cui adstruendo ip ipsum in medium adfertur, videlicet, ergo præter accuratam Dei notitiam non intendit *S.* Scriptura ullam aliam rerum, quæ à Dei decreto dependent, cognitionem docere, & ab hominibus exigere: Ita ut clare distincteque percipi possit, nihil omnino ad rem facere, num primum hoc ab Authore nostro recte, an secus probetur, unde etiam id ulterius persequi supervacaneûm ducimus.

Num vero alterum recte an secus probetur, majoris momenti esse apparet, cum omnis Conclusionis vis atque efficacia ei innitatur; unde etiam, quæ Author in ejus probationem adducit, nobis accuratiori examine perpendenda atque excutienda erunt.

Ut autem probet, in S. Literis per Prophetas ab omnibus hominibus universaliter nullas alias cognitiones, præterquam divinæ justitiæ atque Charitatis exigi, citat noster Philosophus tria S. Scripturæ loca, in quibus docetur, Dei cognitionem consistere in cognitione Divinę Justitiæ atque Charitatis. In horum locorum expositione ab Authore nequaquam dissentimus, uterque enim asserimus, ea tradere atque significare, Dei notitiam sitam esse in notitia Divinæ justitiæ & charitatis. Sed hic solummodo apprime animadvertendum atque ponderandum venit, num hæc allata loca hujusmodi conclusioni formandæ, in quem finem producuntur, sufficiant, nempe, Ergo Deus, per Prophetas tam Veteris quam Novi Testamenti, ab omnibus hominibus universaliter nullam aliam cognitionem exegit, præter notitiam Divinæ Justitiæ atque Charitatis. Hujusmodi vero argumenti rationem nullius roboris,

aut alicujus virtutis habendam esse, non necesse est ut multis declaremus atque ostendamus: Neminem enim tam crassi esse ingenii credimus, quin, si tantillum duntaxat rationari didicerit, atque hæc attento considerare animo velit, plene persuasus fuerit, atque convictus de infirmitate, ac futilitate hujus argumentationis. Sane me quod attinet, adduci non possum, ut credam, ullius hominis, qui judicio pollet, & cui sanum est sinciput, ita tenebris circumseptum concipi posse intellectum, ut futilitatem hujus argumenti, scilicet, Tria S. Scripturæ loca docent, Dei cognitionem consistere in cognitione Divinæ justitiæ & charitatis; Ergo Deus in Scriptura, per omnes tam Veteris, quam Novi Testamenti Prophetas, ab omnibus hominibus universaliter nullam aliam exigit cognitionem præterquam Divinæ Justitiæ Charitatisque, primo intuitu, aut simulac ipsi obviam fit, non animadverteret atque observaret.

Tametsi vero futilitas hujus argumenti adeo aperta atque manifesta sit, ut nemo illam non clare percipere atque observare possit, nihilominus è re fore putamus, ut natura argumentandi ex remotione aut eversione aliorum membrorum in syllogismis Disjunctivis recte intelligatur, diutius his immorari; atque id nullam aliam ob causam, quam ut clare distincteque perspiciatur, quænam huic Philosopho observanda atque præstanda fuerint, si argumentum istud in debita forma, & solide, quemadmodum requiritur proponere voluisset; ut sic quilibet detegere & cognoscere queat, quam ineptum hoc sit argumentum, & quam parum Philosophum noster Philosophus hoc in negotio se præstiterit.

Quotiescumque de aliquo dogmate, in S. Literis comprehenso controvertitur atque disputatur, & de eo suam sententiam probare quis contendit, ex remotione aliorum, existimamus dicimusque, ad officium ejus pertinere, ut ad unum omnia S. Scripturæ loca percurrat, & de unoquoque singulatim ostendat, nuspiam aliud quid, quod discrepat aut contrarium est ei, quod confirmare allaborat, docere, scripturæ intentum fuisse. Ratio, ob quam solummodo hoc methodo argumentari oportet, hæc est, quia alias argumentum omni destituitur sequela, unde quoque conclusio sem-

ſemper incerta manet: quod enim uno in loco non docetur, hoc forſan in aliis clare atque perſpicue doceri poteſt; ita ut, niſi omnia inſpiciantur, atque ad examen revocentur, nulla certitudine concludi queat.

Hæc ſi negotio, quod præ manibus habemus, applicentur, palam fit, quam procul à recta noſter Philoſophus via deflectat, quando illum ad hunc modum audimus legimusque argumentantem, videlicet, ut probet, S. Scripturam nihil aliud intendere, quam obedientiam docere: In tribus ſcripturæ locis aſſeritur, Dei notitiam conſiſtere in notitia Divinæ juſtitiæ atque charitatis; Ergo Deus ab omnibus hominibus univerſaliter in S.Literis nullam aliam exigit cognitionem, præterquam Divinæ juſtitiæ atque charitatis; hoc eſt, ut commodiſſime explicemus, cognitionem obedientiæ. Hic enim omnia S. Scripturæ loca ab eo erant producenda, & de unoquoque ſigillatim oſtendendum, ea nihil aliud intendere, quam ſolam obedientiam docere; vel ſolam notitiam Divinæ juſtitiæ atque charitatis exigere: Nam quod his tribus in locis non fit, hoc in aliis, & quidem ſumma cura tradi & efficaciter urgeri poteſt.

Forſan his dictis opponi poſſet, quamvis parum appoſite, noſtrum Philoſophum in ſui Tractatus initio ſatis ſuperque integram S. Scripturam percurriſſe, ſimulque oſtendiſſe, eandem, nullibi veram cognitionem docere, ſibi ſcopum prœfixiſſe, ſed ſolummodo cognitionem illam obedientiæ: atque adeo quod hic ab eo in medium affertur, eum duntaxat in finem allatum fuiſſe, ut rem clarius apertiusque ob oculos poneret.

Ad quę reſpondeo, Authorem noſtrum, ſi hæc ita conſideranda atque accipienda veniant, ſupra modum confuſe atque intricate ſua propoſuiſſe ac conſcripſiſſe: Etenim ſi in præcedentibus hæc ſolide atque ſufficienter comprobavit, quorſum igitur hic afferre, *Rem accuratius oſtenſum, & clarius explicatum iri, idque ea de cauſa quia hinc totius Religionis deciſio pendet?* quorſum hic aliud agere, quam compendium, & id quo vis omnium ſuarum præcedentium Diſſertationum conſiſtat, diſtincte convenientique ordine producere, ut ex iis poſtea ea, qua decet perſpicuitate atque metho-

do decisionem Controversiæ de Religione formet atque deducat? Profecto, quoniam hic loci nulla fit mentio roboris atque efficaciæ omnium præcedentium Dissertationum, non mediocri quoque probabilitate concludere licet, nullam in omnibus præcedentibus Dissertationibus, respectu hujus controversiæ, vim atque efficaciam fore reperiendam. Quamvis autem hic, ratione eorum, quę jamjam diximus, summo jure quidem contra Authorem nostrum concludere nobis liceat, nihilominus videri nolumus, ex Authoris confusione ne tantillum quidem præsidii atque fructus cepisse: cum nuspiam materia deficiat non tantum clare ostendendi, Authoris Methodum argumentandi admodum indistinctam, infirmam atque inordinatam esse: sed etiam solide atque efficaciter demonstrandi, omnia magni hujus Philosophi conamina, ad omnem Religionem Deique cultum diruendum atque abolendum tendentia, omni ex parte futilia, vana, atque irrita esse.

Sed ad rem veniamus, atque perpendamus, quidnam roboris in præcedentibus reperiatur, & quantum iis hoc in negotio profecerit. Quod ut commode fiat, consultum ducimus, ei largiri, atque supponere, se in omnibus Capitibus, qûæ ad pertractationem de Religione pertinent, recte astruxisse atque probasse id, quod in uniuscujusque compositione ac conscriptione singulatim probare intendit atque conatus fuit. Etenim, si ostendere queamus, illum, quamvis omnia convenienter adstructa atque comprobata esse concedatur, nihilominus non probare, in S. Scriptura nihil aliud intendi, quam docere obedientiam; nec etiam consequenter ostendere separationem Theologiæ à Philosophia, ut inde porro hæc conclusio, Deum speciale regnum inter homines non obtinere, respectu Revelationum formari possit: prorsus superfluum erit, cum ipso de particularibus quibusdam altercari, utpote quæ hac ratione confutationi hujus Tractatus nec prodesse nec obesse queant. At vero si ex dicto præsupposito probare non possumus, generalem ejus Conclusionem, ut & separationem Theologiæ à Philosophia, plane illegitimam esse ac haberi debere: tum demum opportunum erit de particularium adstructione cum

eo

eo serram contentionis reciprocare, illaque nullo modo prætermittere, quod tamen, si antecedens hoc obtineri detur, missum facere apud nos constituimus.

Largimus itaque Authori nostro Conclusionem 1 Capitis, quam Pag. 14. his verbis exprimit. *Possumus jam igitur sine scrupulo affirmare Prophetas non, nisi ope imaginationis, Dei revelata percepisse, hoc est, mediantibus verbis, vel imaginibus, iisque veris aut imaginariis.* In hac Conclusione hoc loco solummodo adnotandum venit, quodque etiam leviter prætereundum non est, nempe, Prophetis his, de quibus Authori hic sermo est, Christum ejusque Apostolos minime adnumerandos esse, quoniam eos ipse excipit atque seponit: Nam Pag. 7. de Christo loquitur in hunc modum, Eum scilicet *de mente ad mentem cum Deo communicavisse:* Unde etiam his immediate præmittit, *se nullibi legisse, Deum Christo apparuisse, aut locutum fuisse; sed Deum per Christum Apostolis revelatum fuisse.* Ita ut hujus Capitis Conclusio non nisi Prophetis Veteris Testamenti applicanda veniat.

Secundi Capitis Conclusio occurrit Pag. 28. his verbis proposita. *Ex his itaque satis superque constat id, quod ostendere proponebamus, nempe Deum revelationes captui & opinionibus Prophetarum accommodavisse, Prophetasque res, quæ solam speculationem, & quæ non charitatem & usum vitæ spectant, ignorare potuisse, & revera ignoravisse, contrariasque habuisse opiniones.* Quæ quoque Conclusio duntaxat Veteris Testamenti Prophetis applicari debet: Nam præterquam quod Philosophus noster hoc capite, ante prædictam Conclusionem, ne unicum quidem locum extra Vetus Testamentum in medium adduxerit, jam in Prima Conclusione vidimus, *Christum nullas habuisse Revelationes.* Attamen sub finem Capitis, post conclusionem hanc formatam, duo adhuc producit loca ex Novo Testamento, ex quibus ostendere conatur, Christum se Pharisæorum opinionibus, nec non discipulorum suorum captui accommodasse; quod etiam, respectu duorum horum locorum simul cum præcedenti Conclusione, ipsi plane ac plene concedimus.

Quod ad Cap. III. attinet, etiam concedimus, quod in eo docere in animo habuit Author, videlicet, *Donum Propheticum Hebræis peculiare non fuisse.*

Tria ſubſequentia Capita huic propoſito non conducunt; vel ut me clarius explicem, circa ea neqûaquam aliquid concedere tenemur, quia illa, quemadmodum jam antea oſtenſum eſt Philoſophicam Theſin, pro fundamento, nec non alia quædam quæ inde dependent, continent. De qua Theſi in ſequentibus ex profeſſo agemus, utpote quę eſt ſecundum noſtræ Confutationis membrum. Quamvis autem in iis perplurima ex S. Literis deprompta occurrant loca eo modo ac ſi peculiaris illa Theſis Philoſophica cum Scriptura conveniret, propoſita; eo tamen nihil aliud arbitrandum erit, quam quod ſit ſimplex diſcurſus, tanquam ex peculiari illa Theſi Philoſophica, per conſequentiam profluens: expreſſe enim aſſerit, *quicquid ei repugnat, credendum eſſe, id à Sacrilegis hominibus ſcripturæ adjectum fuiſſe.* Ita ut hæ diſſertationes nullo modo conſiderandæ ſint, uti præcedentes, quæ ex Scriptura deductæ ejus autoritati innituntur; ſed tanquam diſſertationes ſeorſim factæ, & ab aliis ſeparatæ, quæ non niſi ad CAP. XVI. pertinent: Unde etiam illis diutius, hac occaſione immorari, neceſſe non putamus.

In VII, VIII, IX & X Capitibus agit Philoſophus noſter tum de S. Scripturæ interpretatione, tum de Libris Veteris Teſtamenti, de quibus inquiret indagatque, à quibusnam conſcripti fuerint, num eorum Scriptores plures fuerint, an vero unus tantum; num Hezras ultimam manum impoſuerit, & denique utrum notæ marginales, quæ in Hebræis codicibus reperiuntur, varię Lectionec fuerint, nes ne: in quibus omnibus Diſſertationibus quicquid Author intendit oſtendere atque probare, lubenter concedimus.

Ut autem nunc eo, quo decet, modo examinemus, num ex omnibus his conceſſis, vel, quod idem eſt, ex omnibus illis Concluſionibus jure concludi queat id, cujus gratia ad hoc examen nos accinximus, & quod proprie etiam id eſt, quod ex iis concludi oportebat, ſi huic Tractatui aliquem ordinem tribuere velimus; omnium primò id, quod concludendum eſt, producemus & ob oculos ponemus, ut commodius dijudicari queat, quomodo omnia inter ſe quadrent atque conveniant.

Quemadmodum in præcedentibus, ut & ex Cap. xiii. hujus Tractatus perſpectum eſt, concludi oportet, Deum in S. Scripturâ nullam aliam ab hominibus univerſaliter exigere cognitionem, præterquam Divinæ juſtitiæ & charitatis ad obedientiam promovendam; quoniam ab hac concluſione totius de Religione controverſiæ deciſio dependet, nempe, Theologiam à Philoſophia, utpote duo diverſa atque diſtincta regna, ſeparari debere.

Primo itaque dicimus, omnes Authoris Diſſertationes iii, vii, viii, ix & x Cap. contentas, ex ſua natura nequaquam pertinere, nihilque facere ad talem inde Concluſionem formandam. Imo ſane ſi, quod res eſt, abſque magni hujus Philoſophi offenſione, ſcribere liceret, dicendum foret, omnes has diſſertationes huic Concluſioni non plus virium atque roboris conferre atque ſuppeditare, quam ſi hunc in modum argumentaremur atque concluderemus: Author hoc in Tractatu omnem ſuam qua pollet cognitionem atque ſcientiam Veteris Teſtamenti, nec non omnium Judaicarum rerum atque ſcriptorum, in lucem voluit proferre; de multifariis rebus egit; atque admodum confuſe ac præpoſtere ſua propoſuit; Ergo S. Scriptura ab omnibus hominibus univerſaliter nullam aliam exigit cognitionem, præterquam Divinæ juſtitiæ atque charitatis, ad ſolam obedientiam promovendam. Similem in modum argumentari atque concludere nulla ſane ratione legitimum, neque intelligentis diſputatoris eſſe cenſeri poteſt: Sed potius jure merito hujus farinæ Dialecticus accuſandus eſſet, vel quod Chriſtianos irrideat, vel quod omni judicio deſtitutus ſic argumentetur: Ac propterea etiam hæc huic noſtro Philoſopho applicari queunt: nihilo enim plus quadrat, Donum Propheticum Hebræis non fuit peculiare; hujusmodi mos in S. Scriptura interpretenda tenendus eſt: hi aut illi hunc aut illum Veteris Teſtamenti librum conſcripſerunt, nec non in Canonem retulerunt; Ergo, Deus in S. Scriptura, tam Veteris quam Novi Teſtamenti, ab omnibus hominibus univerſaliter nullam aliam exigit cognitionem præterquam divinæ juſtitiæ atque charitatis: Hunc, inquam, in modum argumentari atque concludere, non magis quadrat, quam ut ſuperius actum eſt.

At forſan regeretur, nos iſthoc pacto Authoris noſtri diſſertationes non niſi male traducere & ſiniſtre interpretari cum iſtiusmodi inſcitia tali Philoſopho nequaquam attribui queat, cujusmodi neceſſario præditus fuiſſet, ſi hæ ejus Diſſertationes hunc in modum ſe habeant: Ac propterea potius exiſtimandum eſſe, ipſum nequaquam in animo habuiſſe, ex omnibus illis diſſertationibus prædictam formare concluſionem; ſed tantum ut hoc pacto omni ex parte infirmitatem atque debilitatem librorum S. Scripturæ oſtenderet atque adſtrueret: quo manifeſte perciperetur, omnia in iis duntaxat excogitata eſſe ad vulgum tanquam equum fræno coercendum, atque ad pacem & ſalutem Reipublicæ ducendum, quemadmodum ſub initium CAP. IV. quaſi digito, demonſtrat.

Ad hanc allatam conſiderationem reſpondemus, non quidem à veritate alienum videri, omnes has diſſertationes hunc in finem conſcriptas fuiſſe; ſed hoc tamen in cauſa non eſſe, quin magnopere mirari debeamus de Authoris confuſione, ac perturbato ejus ſcopo: Nam primo alienum eſt, ac præpoſterum, in uno eodemque Tractatu diverſas miſcere Diſſertationes, quæ ad propriam Scriptoris concluſionem non pertinent: atque etiam ſecundo mirificæ confuſionis indicium eſt, unam Diſſertationem Authoritati S.Scripturæ tanquam fundamento ſuperſtruere, hoc eſt, ut ei fides habeatur, ejusque relationibus quemadmodum eas illa tradit, credatur, atque id ea de cauſa, quia omnia à Divina revelatione profluxerunt; Et rurſus ab altera parte aliquas in medium adducere Diſſertationes, ad Authoritatem S. Scripturæ infringendam, eique ſuam dignitatem atque fidem derogandam, utpote quæ non alium in finem excogitata ſit quam ut pax atque ſalus Reipublicæ ſarta tecta conſervetur: Hoc, inquam, mirificæ confuſionis eſt indicium: Nam ſi poſteriores hæ diſſertationes alicujus ponderis eſſe cenſentur, undenam igitur hæc formari poterit concluſiò, Ergo Deus ab omnibus hominibus univerſaliter in S. Scriptura nullam aliam exigit cognitionem, præterquam divinæ juſtitiæ atque charitatis? nam ſcripturæ Authoritas ſubverſa eſt: Et rurſum, ſi prædictam concluſionem legitime formare volumus, omnium ha-

harum dissertationum vis atque robur plane nullum est, illaque nihil aliud merentur, quam ut Authori suo remittantur atque offerantur, ut eas ipse refellat. Atque, hinc non difficile creditu videtur, hunc Philosophum, absque ulla formandæ Conclusionis consideratione omnia voluisse contra Religiones, & quidem omnibus modis eructare, quæ stomachum ejus prægravabant, nauseamque pariebant, fortunæ committendo, ut ex iis præmissis, casu, & inopinato miroque concursu, prædicta conclusio exsurgeret. Atque adeo satis manifestum evadit, quocunque modo hæc Capita considerentur, nil nisi confusum & absque ordine congestum opus esse. Attamen, quamvis hoc satis jam constare existimemus, demonstrabimus nihilominus certo evidentique argumento, omnia hæc Capita, quocunque etiam illa modo spectentur, plane ad hujus Tractatus scopum nihil facere, nulliusque momenti atque ponderis censenda esse. Atque hoc colligimus ex ipsiusmet Authoris verbis, quibus Cap. x. hunc in modum concludit. *Jam autem tempus esset libros etiam Novi Testamenti eodem modo examinare. Sed quia id à Viris cum scientiarum, tum maxime linguarum peritissimis factum esse audio, & etiam quia tam exactam Linguæ Græcæ cognitionem non habeo, ut hanc provinciam suscipere audeam, & denique quia librorum, qui Hebræa lingua scripti fuerunt, exemplaribus destituimur, ideo huic negotio supersedere malo.*

Ut autem, ex allatis verbis, Argumentum nostrum debite colligamus, & clare proponamus, primo apprime considerandum venit, Theologiam, quam noster Philosophus à Philosophia separare contendit, consistere in Revelationibus tam Veteris, quam Novi Testamenti: Unde clare atque distincte deducimus, omnes dissertationes, quæ conscribuntur, ad aliquid, respectu totius Theologiæ, non respectu alicujus partis separatim, determinandum atque stabiliendum, ejus naturæ esse debere, ut ex iis, æquali certitudine atque claritate, determinatio, tam respectu Revelationum Veteris quam Novi Testamenti, formari queat: Nam si omnia utrique simul applicari nequeunt, necessario consequitur, determinationem illegitimam esse, atque futilem, utpote, quæ requisitis fundamentis non innitatur.

Cum igitur Philoſophus noſter in his verbis indicet, *jam tempus eſſe, libros etiam Novi Teſtamenti eodem modo examinare*, facile inde intelligitur, primo, illum ſuis de his Libris diſſertationibus ſibi propoſitum habuiſſe, aliquid circa Theologiam aut circa S. Sriptu-ram in univerſum ſpectatam determinare: & ſecundo, omnes has ejus diſſertationes plane nullarum virium eſſe ad finem intentum conſequendum: Nam ſi ad ejus conſecutionem (ſive tendat ad illam concluſionem, à qua totius de Religione Controverſiæ deciſio dependet, & cujus ſupra ſatis ſuperque mentionem fecimus, formandam, ſive tendat ad Authoritatem S. Sciptruę evertendam; ſive etiam ad aliquem alium finem) ſimiles de Libris Novi Teſtamenti diſſertationes requirantur, luce profecto meridiana clarius conſequitur, omnes has diſſertationes fruſtra eſſe, quia omnes ſimiles circa Novum Teſtamentum deficiunt atque deſiderantur: Quomodo enim jam aut una aut altera concluſio formari poteſt, cum in dubio poſitum ſit, quid de Libris Novi Teſtamenti judicandum ſtatuendumque ſit, ex quo tamen etiam intenta Concluſio deducenda atque formanda eſt: Ita ut ab omni parte hic Philoſophus confiteri cogatur, aut omnes has diſſertationes extra rhombum eſſe, & ſuo propoſito nihil conducere, atque adeo in confutatione ſui Tractatus jure merito negligi, ac prætermitti poſſe; aut ſi eas ad finem ſuum conſequendum pertinere aſſerat, librum ſuum, vel omnes ſuas diſſertationes, nullarum virium eſſe ad eum finem conſequendum, quem non tantum in his diſſertationibus conſcribendis, ſed etiam in integro ſuo libro adornando, ſibi præfixerat: & per conſequens, hac unica exceptione atque conſideratione totus ejus liber refellitur, quatenus ſcilicet Theologiam concernit. Atque hoc eſt quod in his præ oculis habuimus.

Attamen, ut huic negotio plene ſatisfaciamus, exiſtimare malumus omnes has diſſertationes nihil propoſito conducere, ſed tantum ad S. Scripturæ Authoritatem evertendam, huic Libro interjectas fuiſſe: unde nos conferimus ad duo ejus priora Capita perpendenda, quæ ad rem faciunt, quoniam Author ſub eorum finem ipſe ſignificat, ſe ea, ad Theologiam à Philoſophia ſeparandam

randam conſcripſiſſe, ut perſpiciamus, num in iis major vis atque efficacia ad illam concluſionem confirmandam reperiatur, an vero ſecus.

Quæcunque in duobus illis capitibus continentur, ad hæc duo recidunt, nempe, Deum Prophetis Veteris Teſtamenti nihil niſi ope imaginationis revelaſſe, & quicquid revelavit, illorum captui præconceptisque opinionibus accommodaſſe: ſi igitur ex duabus his concluſionibus una harum duarum conſequentiarum legitime deduci queat, videlicet, Ergo in Libris Veteris & Novi Teſtamenti nulla dogmata, tanquam dogmata veritatum, traduntur, aut, Ergo Deus in S. Scriptura ab omnibus hominibus univerſaliter nullam aliam exigit cognitionem, præterquam Divinæ Juſtitię & charitatis, ad obedientiam promovendam, lubenter fatebor, illis diſſertationibus, quatenus conceſſæ ſunt, requiſitum robur ineſſe; quoniam tum ex alterutra harum conſequentiarum, Revelatam Theologiam tanquam regnum devotionis, & non tanquam regnum veritatis conſiderandam eſſe deduci poterit. Hic enim denuo apprime notandum venit, revelatam Theologiam à Philoſophia ſeparari non poſſe, niſi clare diſtinctèque probetur, Scripturam, tam in Veteri, quam Novo Teſtamento, ne unicam quidem veritatem docere, vel aliquid, tanquam veritatem tradere: Nam ſi illa aliquas cognitiones, tanquam veritatis cognitiones, ab omnibus hominibus univerſaliter exigit, fiet illa memorata ſeparatio absque ulla ratione, ullove fundamento: Ita ut duarum illarum prænotatarum conſequentiarum alterutra ſit baſis, cui jam ſæpius laudata ſeparatio ſuperſtrui debeat: Unde quoque illarum aliqua ex duabus illis duorum illorum priorum Capitum concluſionibus profluere debet, ſi certa, ac firma cenſenda atque habenda fuerit: idque eo magis, quoniam Author ipſe ſub finem eorum Capitum indigitat, ea illum in finem propoſita eſſe, ut Theologia à Philoſophia ſepararetur. Quod ſi igitur hæ Concluſiones & rationes ac fundamenta hujus ſeparationis in formam ſyllogismi redigantur, plane nulla in eo conſequentia animadvertetur, quia plus in concluſione continetur, quam in præmiſſis allatum fuerat: Hunc enim in modum formari debet.

Si Theologia, & Philosophia, ut duo invicem à se diversa regna, legitime ac juste separari possunt, ac debent; oportet, Deum in Libris tam Veteris quam Novi Testamenti, per omnes Prophetas, per Christum, omnesque ejus Apostolos, nullas veritates, aut vera dogmata, quæ à decreto ejus dependent, docere aut prædicare jussisse; vel dicendum est, Deum in S. Scriptura &c ab omnibus hominibus universaliter nullam aliam cognitionem exigere præter cognitiones (falsitatum scilicet) Divinæ Justitiæ atque charitatis.

Deus autem se Prophetis Veteris Testamenti ope eorum, imaginationis, revelavit, & quæ revelavit, eorum captui ac præconceptis opinionibus accommodavit: Ergo Theologia à Philosophia separari debet.

Profecto hujusmodi in syllogismo nulla plane consequentia reperitur ad talem conclusionem inde eliciendam; imò verò si rei natura penitius inspiciatur, non tantum dicendum est, illas res nullam inter se habere connexionem; sed etiam plenissime persuasi & convicti esse debemus, sequentem hunc syllogismum, adversus Authorem nostrum, ex illorum Capitum conclusionibus formari atque elici posse, nempe:

Si ex eo, quod Deus se Prophetis ope eorum imaginationis revelaverit, ac revelata sua eorum captui præconceptisque opinionibus accommodaverit, sequatur, eorum Revelationes nullam cum Philosophia habere communionem, hoc est, cum Philosophicis veritatibus, eoque propterea à Philosophia esse separandas; sequetur etiam è contrario, prædicationem Illius, cui nunquam aliquæ revelationes factæ sunt, sed qui os ipsum, ac vox Dei extitit, quique de mente ad mentem cum Deo communicavit, à Philosophia, id est à Philosophicis veritatibus, separari non posse, quia in eo quicquid formaliter ad Perceptionem veritatum requiritur, propter memoratam communicationem, reperitur; *atqui Christus nullarum unquam revelationum particeps fuit, ipsum Dei os, ac vox extitit, & de mente ad mentem cum Deo communicavit*, Pag. 7. & 50. unde in Christo, propter memoratam communicationem, reperitur quicquid formaliter ad perceptionem veri-

veritatum requiritur; ergo, prædicatio Christi à Philosophicis veritatibus separari non potest.

Ad infirmationem hujus argumenti adduci posset, eodem plane modo, quo Deus se Prophetis ope eorum imaginationis revelavit, & revelata ad eorum captum præconceptasque opiniones accommodavit, etiam Christum, ope imaginationis suorum discipulorum se revelasse, vel saltem omnia sua Eloquia ad eorum captum atque opiniones, nec non ad captum opinionesque omnium suorum Auditorum, semper accommodasse: unde igitur idem prorsus effectus profluit, ac si ipse Deus, etiam in Novo Testamento, se ope imaginationis suorum Legatorum revelasset, & revelata sua ad eorum captum, & opiniones accommodasset. Atque hæc objectio, ad præcedentis nostri Argumenti eversionem, majori vi ac efficacia, nec non firmiore fundamento formari potest, quia Pag. 29. nostrum Philosophum hac de re hunc in modum disserentem legimus. *Nec aliter de Christi rationibus, quibus Pharisæos contumaciæ & ignorantiæ convincit, discipulosque ad veram vitam hortatur, statuendum; quod nempe suas rationes opinionibus & principiis uniuscujusque accommodavit. Ex. gr. cum Pharisæis dixit, vide Matth. Cap* 11. *vers* 26. & si satanas Satanam ejicit, adversus seipsum divisus est; quomodo igitur staret regnum ejus; *nihil nisi Pharisæos ex suis principiis convincere voluit, non autem docere, dari Dæmones, aut aliquod Dæmonum regnum: sic etiam cum discipulis dixit, Matth.* 18 *vers* 10. videte ne contemnatis unum ex parvis istis, dico enim vobis Angelos eorum in cœlis &c. *Nihil aliud docere vult, quam ne sint superbi, & ne aliquem contemnant, non vero reliqua, quæ in ipsius rationibus, quas tantum adfert ad rem Discipulis melius persuadendum, continetur. Idem denique de rationibus & signis Apostolorum absolute dicendum, nec de his opus est fusius loqui. Nam si mihi enumeranda essent omnia Scripturæ loca, quæ tantum ad hominem, sive ad captum alicujus scripta sunt, & quæ non sine magno Philosophiæ præjudicio, tanquam divina doctrina defenduntur, à brevitate, cui studeo, longe discederem: Sufficiat igitur, quædam pauca & universalia attigisse, reliqua curiosus lector apud se perpendat.*

Quòd si verum sit, nihil aliud de Christi eloquiis atque sermonibus statuendum esse, quam id, quod circa Revelationes Veteris Testamenti Authori admisimus atque concessimus, quale quid hic valde asseveranter affirmat, fateor omnem vim atque efficaciam præcedentis mei argumenti eversam, imo contrarium probatum atque adstructum esse. Examinemus igitur atque excutiamus omnia, quæ in citato Authoris loco adferuntur.

Quocunque autem modo ejus rationes perpendo, quam attente eas etiam atque etiam considero, in iis tamen nihil aliud reperio, præter nudam audacemque assertionem, nempe, *de rationibus Christi, nec non de rationibus ac signis Apostolorum, nihil aliud esse statuendum, quam id quod circa Revelationes Prophetarum concessimus;* eamque nulla omnino subnexa probatione corroboratam atque suffultam: Nihil enim eo loci in medium profert præter duo S. Scripturæ Testimonia; instar exemplorum proposita: & quis tam ignarus & in exercitatus reperitur inter homines, qui eo tantum ingenio sint, ut hujusmodi librum duntaxet evolvere queant quem fugit exempla nihil probare? Sane cuilibet pernotissimum, unum locum alteri nequaquam leges ponere: & tametsi ex uno loco ad alium progredi liceret, ubinam sunt Authoris argumenta, quibus adstruitur, ex his duobus locis certum quid circa integrum Novum Testamentum licere determinare? Neque enim ullo modo consequitur, Christus duobus locis se ad principia & captus hominum accommodavit, Ergo Christus ejusque Apostoli semper suos sermones, nec non sua signa, vel miracula, ad principia atque captus hominum accommodarunt: Hoc, inquam, nullo modo sequitur, atque proinde jure merito admirari licet magnam hujus Philosophi confidentiam, qui hoc tam temerarie duntaxat & nullo tibicine subnixus asserat.

Sed forsan existimabit quispiam, hæc nimis temere ac præcipitanter in hunc clarissimum Philosophum dici, quoniam in fine hujus dissertationis rationem reddit, ob quam non necesse ducat, multa ad hunc eundem scopum tendentia producere loca, nempe *quia sufficit duntaxat universalia attigisse*, ex quibus de reliquis judicium esse potest. Sane faterer me nimis in judicando præcipitem fuisse,

nisi

nisi etiam in allata ratione eandem confidentiam, ne dicam impudentiam, animadverteremus: Nam ubinam occurrunt in medium adducta universalia, à quibus hæc omnia dependent: quisnam nobis ea monstrabit? An omnia illa ex Veteri Testamento allata loca erunt illa universalia, à quibus omnia, respectu Novi Testamenti, dependent? & an hæc horum dependentia adeo omnibus perspicua est, ut sine ulla ejus indicatione atque demonstratione potestatem quis nactus sit, ad talem universalem formandam decisionem, vel ad tam magni momenti dogma determinandum? Sane hæc dici nequeunt quoniam in præcedentibus vidimus, *Christum de mente ad mentem cum Deo communicavisse:* Unde certiores simus, Deum se ad Christi principia non accommodasse; ac propterea etiam, per hoc non leve inter Christum, ac præcedentes Prophetas discrimen, plane ejusmodi sequela tollitur: ita ut omnia illa adducta loca nullo modo tanquam universalia spectari queant. Quod etiam porro duo illa Novi Testamenti loca, quæ in hac dissertatione tanquam exempla prolata fuerunt, ut universalia considerari nequeant, non tantum colligi potest ex iis, quæ jam circa ea indicavimus; sed etiam ex eo, quod natura universalitatis requirat, ut omnia particularia seu individua in ea includantur: nam hac ratione quid duntaxat universale est, vel potius hæc est formalis ratio universalitatis, ut particularia sub ea comprehendantur; quemadmodum è contra formalis ratio particularitatis est, quod tantum rei singulari seu individuæ competat, atque propria sit, aut ei uni solummodo applicari possit, quæ propterea sub universalibus continetur. Si itaque omnibus Novi Testamenti locis, propter hæc duo id quod in iisdem reperitur attribui atque applicari possit, erunt etiam eadem universalia, nequaquam autem alio respectu. Atque hoc ut pateat, hæ consideratu dignæ consequentiæ notentur, & illico dijudicari poterit, utrum eadem universalia sint, an verò secus: Christus, quando de Diabolis locutus fuit, se ad principia Pharisæorum accommodavit; Ergo, quando Christus de remissione peccatorum, de resurrectione mortuorum, de vita æterna, & similibus cum iis aut cum aliis sermonem habuit, etiam se ad ipsorum principia accommodavit: Et rursus,

quan-

quando Christus cum discipulis suis de Angelis in cœlo locutus fuit, verba sua ad eorum captum præconceptasque opiniones accommodavit, ut eos à superbia dehortaretur; Ergo quicquid Christus cum suis discipulis vel cum aliis hominibus, ut & quicquid ejus Apostoli cum hominibus ullo unquam tempore locuti fuerunt nec non omnia sua signa atque miracula, ad captum, ad principia, ac præconceptas Auditorum spectatorumque opiniones accommodaverunt. Profecto, hæ consequentiæ nullo quadrant modo, & quidem ex locis Authori solummodo concessis, ac præsuppositis: Quę si ipsa in dubium & ad examen revocare liberet, bone Deus! quam luculenter enormitatem hujus assertionis ob oculos ponere possemus: Nam ubinam ejus sunt argumenta, quibus evincit, Christum, de Diabolis Angelisque loquentem, se ad principia captusque Auditorum accommodasse? An jam antea probavit, Dei intellectum & Dei voluntatem unum atque idem esse, vel naturam instar machinæ spectatam, esse Deum; Ex quibus duobus præmissis utcumque sequi videtur, nec Diabolos nec Angelos in rerum natura reperiri: Sane horum nec vola nec vestigium in præcedentibus apparuit: atque hæc non nisi CAP. 4. & 6. demum dictantur, quemadmodum in sequentibus ostendemus: At quantum ad hæc capita attinet, in iis profecto nihil ullibi occurrit, quod ullam vel minimam rationis speciem multo minus solidam rationem præ se ferat, per quam Christo istis in locis ejusmodi accommodatio adscribi queat; ita ut tandem hic concludere cogamur, duo hæc Capita ne minimam quidem vim atque efficaciam in se continere, qua quis potestatem nactus sit, ut revelatam Theologiam & Philosophiam à se invicem separet: quoniam ex iisdem alterutram harum duarum consequentiarum nullo modo deduci potest, nempe, vel Deum in libris Veteris & Novi Testamenti ab omnibus hominibus universaliter nullam aliam exigere cognitionem, præterquam Divinæ Justitiæ & charitatis; vel S. Scripturam in omnibus suis partibus nulla dogmata, tanquam dogmata Veritatis tradere: ita ut illas in summo gradu invalidas infirmasque comperiamus.

jam quidem prædictis quædam circa Cap. xi. annotata annecteremus; sed quoniam Lectoribus lassitudinem molestiamque creare velle videremur, si eos moraremur, multumque operæ poneremus in talibus nihil ad rem facientibus rationibus refutandis, cujusmodi quicquid hoc xi. Capite continetur existimandum est, quoniam cuilibet inspicienti absque adhibita confutatione omnino manifestum atque apertum evadit, nihil plane quæstioni obesse vel prodesse, Utrum nempe Apostoli Jesu Christi tanquam Prophetæ, an vero tanquam Doctores, munus suum obierint: Proinde absolute concludimus, omnia hæc prædicta Capita, ad duodecimum usque, utpote in quo initium sumit tractatio ejus, de quo primum egimus, & a quo totam de Religione controversiæ decisionem dependere, antea ex ipso nostro Authore intelleximus, nihil prorsus ponderis addere hujus vel ejusmodi Religionis determinationi: Et quoniam nullam aliam ob causam ad examen horum Capitum nos accinximus, quam ob magnam infirmitatem debilitatemque dissertationis Cap. xiii. contentæ, cui tanquam fundamento Philosophus noster decisionem determinationemque Religionis super imposuit, jure acquiescimus, omnique ex parte rei satisfactum putamus, utpote qui sufficienter futilitatem omnium harum Dissertationum indicavimus, atque ob oculos posuimus.

Si itaque in ante dictis luce meridiana clarius ostendimus, omnes has dissertationes, vel extra rhombum, vel nullarum virium esse; facillime nunc ex earum infirmitate atque debilitate deducere poterimus, quale de iis, quæ Cap. xiv. pertractantur, judicium ferendum sit; quoniam in eo, consequenter ex veritate atque firmitate omnium harum Dissertationum, dogmata fidei universalia, vel S. Scripturæ fundamentalia determinantur: Nempe, omnes illas determinationes esse futiles atque frivolas, & consequenter omni ex parte incertum relinqui, quomodo universalia fidei dogmata, vel S. Scripturæ fundamentalia determinanda sint: & num per consequens Theologia à Philosophia separanda sit, anvero secus.

Hactenus igitur Quæſtionem de Religione perſecuti, & quidem veſtigia noſtri Philoſophi premendo, jure merito nos jam conferre poſſemus, ad fundamentum ex Philoſophia depromptum, vel ut clarius loquar, ad illam ſpecialem Theſin Philoſophicam, cui innitens omnes ſuas enormes atque profanas opiniorus docere atque adſtruere conatus fuit Philoſophus noſter, ut eam ſimili modo refellamus, ac ſic quicquid ſupereſt funditus diruamus atque ſubvertamus. Attamen ut omni ex parte Quæſtioni ſatisfaciamus, ipſi, antequam ulterius progrediamur, demonſtrare conabimur, nulla omnino ratione, ſalva atque incolumi S. Literarum authoritate, Theologiam à Philoſophia ſeparari poſſe, quia confidimus clare atque perſpicue nos oſtenſuros, in S. Scriptura nonnulla tanquam Veritates, doceri, vel, tanquam vera dogmata, quæ a Dei decreto dependent, tradita eſſe: Nam veritas vel falſitas ejus, quod verum eſſe oſtendere annitar, ſcilicet, in S. Literis nonnulla tanquam veritates doceri atque tradita eſſe, ſola atque unica ratio eſt vel ſeparationis vel conjunctionis Theologiæ & Philoſophiæ.

Ut autem hoc concinnemus argumentum, minime opus eſt omnia illa producere loca, in quibus inſtanter atque ſerio urgetur, oportere credere, ac tanquam veritatem aſſumere, Chriſtum à Deo Patre ſuo cæleſti, tanquam a Regum Rege, ac Domino dominorum, miſſum eſſe cum ſpeciali mandato ad genus humanum; illum promiſſum Judæis Meſſiam eſſe; illum nomine Dei remiſſionem peccatorum obtuliſſe; in ejus poteſtate poſitum fuiſſe Dei promiſſa prædicandi, eum nunc exaltatum eſſe in Regem Regum, qui aliquando totum Mundum judicaturus eſt, ac qui de eo ſententiam feret, &c. Mimine, inquam, opus eſt huic negotio omnia hujusmodi loca in medium proferre, quoniam ex omnibus una atque unica huic comprabationi ſufficiat, & in hujusmodi opera candidi Lectores non niſi multitudine graventur, & diffuſam tractationem faſtidiant. Qua propter unicum Apoſtoli Teſtimonium, quod in Epiſtola ad Corinthios priori Cap. xv. habetur, ſatis ſuperque nobis hanc veritatem perſuadebit. Notemus quæſo quam ſedulo atque ſerio fidem facere contendat Chriſtianis, ut firmiter credant,

dant, se a morte naturali resurrecturos: Perpendamus, quam significanter & quanto zelo Apostolus ibi loquatur: *Si resurrectio mortuorum non est, ne Christus*, inquit, *resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, inanis videlicet est prædicatio nostra; inanis autem est & fides nostra: Reperimur autem & falsi testes Dei, quoniam testificati sumus de Deo, quod excitaverit Christum, quem non excitavit, si videlicet mortui non resurgunt.* & rursus inferius, *si mortui non resurgunt, edamus & bibamus, cras enim moriemur.*

Omnino, meo judicio, data opera cæcus est, vel prorsus omni caret intelligentia, qui hunc allatum locum contemplans, animavertere nequit, in eo tanquam veritatem doceri, Christum à mortuis resurrexisse, &, tanquam verissimum dogma, quod a Dei decreto dependet, tradi, omnes fideles à mortuis resurrecturos. Imo vero, qui, ut decet, intendere animum volet in eo, quod hoc in loco proponitur, procul omni dubio comperiet, illum studio & dedita opera adversus hunc Philosophum adornatum esse; Affirmat enim noster Philosophus audacter, nihil in S. Literis intendi aliud, quam obedientiam docere atque promovere, eumque in finem ab omnibus hominibus nullas alias exigi cognitiones, præterquam Divinæ justitiæ atque Charitatis: Hoc autem in loco evidentius, quam res exigit, apparet, Apostolum velle, ut, tanquam veritatem, credamus, mortuos esse resurrecturos; nec non ut pro certo habeamus, omnem obedientiam plane infructuosam, atque frustraneam esse, si mortui non resurgant, *edamus*, inquit, *& bibamus, cras enim moriemur.* Unde clare atque distincte animadvertere licet, Apostolum obedientiam non voluisse promovere, nisi solummodo vi veritatis, atque ex veris fundamentis. Sane si Author noster, quoniam ex authoritate S. Scripturæ disserere voluit, hæc atque his similia examinasset loca, atque ostendisset, quomodo ex *S*. Scriptura, in se sola spectata, absque sui jam sæpius memorati fundamenti Philosophici intermixtione, posset probare atque demonstrare, quemadmodum ubique crepat, hæc omnia, nempe, quæ allato capite continentur, & quæ jam jam ex eo notavimus, esse accommodata ad captum præconceptasque hominum opiniones, & disposita, *ut vulgus*

tanquam equus freno, *ducatur ad ſalutem Reipublicæ;* Utique majori cum fructu ſuas diſſertationes conſcribere potuiſſet: cum jam eum ſolummodo in animo habuiſſe exiſtimemus, Religiones profanare, & non candide, uti verum decet Philoſophum, cum Chriſtianis agere.

Atque ita confutationem omnium Diſſertationum, quæ ſeparationem Theologiæ à Philoſophia concernunt, pro ut ipſa res exigebat. abſolviſſe, & omni ex parte nos expediiſſe putamus: Nihil tamen omnibus præcedentibus noſtris diſceptationibus profeciſſe exſtimamus, niſi eo ſolummodo reſpectu, ſi ſcilicet jam ſæpius memoratum Fundamentum Philoſophicum, ab Authore noſtro Cap. iv. adductum, non probatum eſſe comperiatur: Etenim quamnam parit utilitatem, cognitum atque perſpectum habere in libris tam Veteris quam Novi Teſtamenti nonnulla, tanquam veritates doceri, & tanquam certiſſima dogmata, quæ à Dei decreto dependent, tradi; ſi interim per aliquam Veritatem Philoſophicam, certi ſimus, nulla eſſe proprie dicta Dei decreta, nec etiam eſſe poſſe, Deum nullum ſpeciale inter homines regnum obtinere; & conſequenter omnes Prophetas, Apoſtolos, & ipſum Jeſum Chriſtum, in omni illo S. Scripturarum & Religionis apparatu, vel ipſosmet deceptos fuiſſe, vel alios decipere voluiſſe? Sane omnino nullam. Quin imo plane infructuoſum atque fruſtraneum eſt, de Religione atque Dei cultu, aut de miraculis, vel etiam de deceptione aut decipiendi voluntate, pluribus diſſerere, ſi ipſa rei veritas nos doceat, omnia fato, aut naturalium cauſarum concatenatione determinari, ac vi hujus determinationis evenire: Ita ut, cum nos minime fugiat, totius noſtræ diſputationis deciſionem unice ab hujus Theſios probatione dependere, majori ſtudio atque ſedulitate, ad oſtendendum, hanc noſtri Philoſophi Theſin nequaquam ab eo probatam confirmatamque eſſe, nos accingere atque pro virili anniti par ſit.

Hoc in negotio ut debito ordine & quemadmodum res poſtulat procedamus, prooemii loco notari volumus, primam atque tertiam hujus iv. Capitis Diſſertationes ad confirmationem hujus fundamenti non directe pertinere; quoniam Philoſophus noſter primam

primam instituit, ut naturam constitutionemque Legis Divinæ explicaret: hunc enim in modum sonant ejus verba Pagina 45. *Per Legem Divinam intelligo rationem vivendi, quæ solum summum bonum, hoc est, Dei veram cognitionem, & amorem spectat: Ratio, cur hanc Legem voco Divinam, est propter summi boni naturam, quam hic paucis & quam clare potero, jam ostendam.* Tertia autem Dissertatione ostendere nititur, quid S. Scriptura de Lumine naturali, & Lege naturali, doceat, ut Pagina 48. dicitur. Attamen, quamvis hanc ob rationem has Dissertationes quidem prætermittere possemus, existimamus nihilominus necessarium esse, ut ostendatur, iis nullam inesse vim, ad illos, ad quos collimant, scopos feriendos. Etenim si Philosophus noster in prima probet, sicut contendit, in rerum naturalium cognitione notitiam Dei, atque adeo summum nostrum bonum consistere, & consequenter Divinæ legis observantiam sitam esse in iis rebus agendis atque exsequendis, quæ nos ad rerum naturalium ducunt cognitionem, & si in tertia vere demonstret, quemadmodum ipsius est scopus, *S.* Literas docere, præmium vel fructum legis in cognitione naturali, ipsiusque pænam in ignorantia vel in privatione naturalis notitiæ consistere; fatendum utique est, etiam per illas omnem proprie dictam Deo obligationem, quæ aliquod supernaturale præmium aut pœnam respicit, plane tolli atque annihilari: Ac idcirco etiam has dissertationes examinabimus atque refutabimus. Quoniam autem Philosophus noster in tertia demonstrare contendit, S. Scripturam proprie docere, eum in modum cum Lumine & Lege naturali esse comparatum, ut in prima proposuit atque explicavit, duas illas post se invicem prius ad examen revocabimus, ac postea in naturam secundæ inquiremus, utpote quæ genuinum omnium fundamentum comprehendit.

Sic igitur incipit, Pag. 45. *Cum melior pars nostri sit intellectus, certum est, si nostrum utile revera quærere velimus, nos supra omnia debere conari, ut eum quantum fieri potest perficiamus, in ejus enim perfectione summum nostrum bonum consistere debet.*

Hoc autem dissertationis exordium, utpote veritati consentiens, in totum à nobis conceditur: unde cum Authore pergimus.

Porro quoniam omnis noſtra cognitio & certitudo, quæ revera omne dubium tollit, à ſola Dei cognitione dependet, tum quia ſine Deo nihil eſſe, neque concipi poteſt, tum etiam quia de omnibus dubitare poſſumus; quandiu Dei nullam claram & diſtinctam habemus ideam; hinc ſequitur, ſummum noſtrum bonum, & perfectionem, a ſola Dei cognitione pendere, &c.

Concluſionem autem hanc, nempe *ſummum noſtrum bonum & perfectionem a ſola Dei cognitione pendere*, etiam veram eſſe exiſtimamus; at nequaquam propter ea, quæ illi præmittuntur, ex quibus illam Philoſophus noſter deducit; Etenim, ut ego quidem judico, nulla in iis apparet conſequentia, videlicet, *omnis noſtra cognitio & certitudo, quæ revera omne dubium tollit, a ſola Dei cognitione dependet, tum quia ſine Deo, &c. hinc ſequitur, ſummum noſtrum bonum & perfectionem a ſola Dei cognitione pendere.* In his, inquam, nulla apparet ſequela, quia ſummum noſtrum bonum, hoc eſt, perfectio intellectus noſtri non conſiſtit in omnibus illis cognitionibus, quæ a cognitione Dei, quia ſine Deo nihil eſſe neque concipi poteſt, dependent: Nam omnes illæ cognitiones, quæ, quia ſine Deo nihil eſſe neque concipi poteſt, acquiri poſſunt, nullo modo noſtrum intellectum perficere queunt, quoniam, meo quidem arbitratu, in cognitione omnium eorum, quæ ſine Deo neque eſſe neque concipi poſſunt, cognitio Eſſentiæ divinæ nequaquam ſita eſt: Ac propterea quidem cum Authore noſtro aſſerimus, atque ſtatuimus, noſtrum ſummum bonum non niſi a cognitione Dei dependere, ſed ſolummodo, quia perfectio noſtri intellectus non niſi in cognitione totius eſſentiæ Divinæ, hoc eſt, Entis ſumme perfecti, ſita eſt: Atque Authoris concluſio nullam habet conſequentiam, aut nullo innixa eſt fundamento, quia nondum alterutrum horum duorum demonſtraverat atque probaverat, nempe, vel integram abſolutamque Eſſentiæ Divinæ, aut Entis ſumme perfecti cognitionem, ſolummodo conſiſtere in cognitione earum rerum, quæ ſine Deo neque eſſe neque concipi poſſunt, hoc eſt, Naturalium; vel perfectionem noſtri intellectus ſitam eſſe in hac cognitione omnium illarum rerum, quæ ſine Deo neque eſſe neque concipi poſſunt. Ita ut no-

ster Philoſophus ipſo in limine hallucinetur, neque firmum atque ſufficiens ſuæ concluſioni, cui reliqua ſuperædificat, fundamentum poſuerit atque ſubſtraverit.

Atque hoc præterea exinde magis apparet quod ulterius procedimus, atque etiam aſſerimus, illud ipſum, quod ſuæ concluſioni præmiſit Author, falſum eſſe, videlicet, *omnem noſtram cognitionem atque certitudinem, quæ revera omne dubium tollit, a ſola Dei cognitione dependere.*

Ut autem hanc noſtram aſſertionem adſtruamus atque probemus, unicum tantum ex Cap vi. allegamus atque producimus locum in quo Philoſophus noſter, immemor, ut videtur, ejus, quod hic tanquam fundamentum poſuerat, è diametro contrarium affirmat, idque tanquam ſolidam certiſſimamque veritatem luculenter ab oculos ponit. Eo loci illum pag. 70. ſequentibus verbis hunc in modum diſſertantem, & rationi convenienter ratiocinantem audimus. *Cum Dei exiſtentia non ſit per ſe nota, debet neceſſario concludi ex notionibus, quarum veritas adeo firma atque inconcuſſa ſit, ut nulla dari neque concipi poſſit potentia, a quà poſſint immutari: nobis ſaltem ab eo tempore, quo ex iis Dei exiſtentiam concludimus, ita apparere debent, ſi ex ipſis eam extra omnem dubitationis aleam concludere volumus: Nam ſi poſſemus concipere ipſas notiones ab aliqua potentia, quæcumque demum ea fuerit, mutari poſſe, tum de earum veritate dubitaremus, & conſequenter etiam de noſtra concluſione, nempe de Dei exiſtentia, nec de ulla re, unquam poterimus eſſe certi.*

Hac ratiocinatione procul omni dubio affirmatur, quasdam primas notiones certiſſime, vel per ſe cognitas eſſe debere, priuſquam ipſa Dei exiſtentia, cognoſci queat; Unde porro conſequitur, ejusmodi notiones, nec non certitudinem, quæ illis ineſſe debet non a Dei cognitione, ſed econtra cognitionem Dei ab illis notionibus dependere. Atque hinc porro perſpicuum fit, præmiſſum iſtud de quo jam nobis ſermo eſt, prorſus falſum atque erroneum eſſe, nempe omnem noſtram cognitionem, atque certitudinem ejus, à ſola Dei cognitione dependere.

Jam vero progrediamur concluſioni, quam conceſſimus, inſiſtentes, quamvis totius hujus diſſertationis vim atque efficaciam

jam

jam infirmaverimus: Nam in animo habemus, neque difficile esse autumamus, ostendere, in nulla ejus parte ullam sequelam reperiri posse:idque eum in finem aggrediemur, quò clare atque destinctè quilibet animandvertere possit, quam temere atque confuse hic Philosophus in suis dissertationibus instituendis se gesserit; & quidem maxime cum annectat, naturam atque constitutionem Legis Divinæ in hac Dissertatione, *se, quam clare poterit, ostensurum*, quæ verba immediate ante hujus dissertationis exordium legenda veniunt. Sic itaque pergit. *Deinde cum nihil sine Deo, nec esse nec concipi possit: certum est omnia, quæ in natura sunt,* Dei *conceptum pro ratione suæ essentiæ suæque perfectionis involvere, atque exprimere, ac proinde nos, quo magis res naturales cognoscimus, eo majorem atque perfectiorem* Dei *cognitionem acquirere.* In qua ratiocinatione Philosophus noster tam generalibus terminis & loquendi modis utitur, ut ea ab illis etiam, qui contrarium sentiunt, & longe alias suarum opinionum fundamenta habent, admitti queant. Me quod attinet, possum sane totum, quod conclusioni præmittitur, concedere: Attamen eo concesso ipsam conclusionem legitimam atque veram esse, inficias ibo: & rursus, si conclusionem debito modo atque rectè formatam esse, admittam, negabo id quod ei præmittitur, verum esse, & consequenter conclusionem etiam falsam esse, denuo affirmabo.

Ut hæc ostendamus, dicimus, Quod si hæc verba, *cum nihil sine* Deo *nec esse nec concipi possit*, considerentur, tanquam denotantia, in rerum natura nihil esse, nec concipi posse, quin illud ipsum secundum Dei conceptum suam existentiam nactum fuerit, vel in naturali Dei intellectu exstiterit, vel in Dei potentia atque intellectu eminenter existentiam suam habuerit, atque hæc omnia respectu suæ essentiæ atque perfectionis; ista a nobis plane concedi: puto enim admodum clare a me percipi atque intelligi omnes res naturales, aut quicquid in rerum natura existit, sive sub iis tantum res existentes comprehendantur, sive etiam illa omnia tam quæ nullam propriam existentiam possident, quam quæ per se subsistunt, intelligantur, in Dei conceptu, hoc est in ipso Deo fuisse. Ita ut prædicto sensu has ob rationes dici possit, res naturales

les Dei conceptum involvere atque exprimere. At vero hæc verba sic accepta nullo modo admittunt, ut recte atque legitime ex iis concludi queat, ergo, *quo magis res naturales cognoſcimus, eo majorem atque perfectiorem Dei cognitionem acquirimus* Nam in eo, quod præmittitur, hoc ſenſu accepto, non continetur, res naturales Eſſentiam Divinam, imo integram Dei Eſſentiam, ejusque perfectionem naturalem involvere atque exprimere; ſed tantum, res naturales exiſtentes formaliter ſecundum Dei conceptum, quem ex libero ſuo arbitrio formavit, vel eminenter in ejus intellectu atque potentia, quatenus ex ſua naturali perfectione ejusmodi determinatos conceptus formare, & ſuam abſolutam potentiam, in operando, ad illos determinatos conceptus accommodare poterat, extitiſſe. Ita ut illæ res naturales, quas non niſi in earum determinatione cognoſcimus, nihil aliud præter Dei determinatos conceptus, atque ad ipſos accommodatas operationes involvant atque exprimant. Atque hoc nullam communionem habet, cum Divina Eſſentia, atque ejus perfectione, quoniam in ea nulla naturalis determinatio concipi queat: Atque adeo quia hæc concluſio ad Divinam Eſſentiam reſpectum habet, conſequitur, illam non legitime, neque debito ordine, ex eo, quod præmiſſum eſt, ea, qua diximus ſignificatione accepta, formari atque deduci poſſe: nam ex eo concludi duntaxat poteſt, Ergo, quo res naturales magis cognoſcimus, eo nos majorem atque perfectiorem cognitionem determinatorum Dei conceptuum, & determinatarum, vel ad eos accommodatarum operationum acquirimus: quod profecto aliud quid eſt, quam cognitio Divinæ Eſſentiæ, hoc eſt, abſolutarum ejus perfectionum.

His jam ita conſideratis circa ſignificationem verborum, ſecundum quam illa a me admittuntur atque conceduntur, reliquum eſt, ut ex ipſa concluſione indagemus atque deducamus, quo ſenſu noſter Philoſophus iſta verba acceperit atque intellexerit, vel, prout res ipſa requirebat, ſaltem accipere atque intelligere debuerit: nam hoc modo ulterius inquirere atque perpendere poterimus, num firmo ſubnixus fundamento, an vero ſecus, ſic loqui potuerit.

Conclusio, nempe, *nos, quo magis res naturales cognoscimus, eo majorem & perfectiorem Dei cognitionem acquirere*, omni ex parte falsa judicari debet; nisi alterutrum horum duorum pro indubitato statuatur, videlicit, vel res naturales Dei Essentiam, ejusque perfectionem constituere, hoc est, ipsam Naturam Deum esse: vel res naturales per Divinam essentiam, ejusque perfectionem, prout ipsa jam constituta est, productas fuisse, hoc est, Deum, quatenus existit, atque perfectus est, ex necessitate suæ naturæ eas produxisse, aut creasse: Nam si horum alterutrum veritati consonum esse non existimatur, nullam etiam hæc conclusio habet consequentiam; atque adeo ex natura atque indole hujus conclusionis obstringimur id, quod ei præmissum est, alterutro ex prædictis sensu intelligere, nempe, vel quod ista verba, *res naturales, Dei conceptum pro ratione suæ essentiæ suæque perfectionis involvere & exprimere*, significent, res naturales Dei Essentiam constituere, vel res naturales, ex necessitate Divinæ Essentiæ, vel quatenus Deus existit, emanasse; & propter istam emanationem, Dei perfectionem involvere atque exprimere.

Hac ratione igitur ambo hæc hujus Conclusionis fundamenta vera esse à me negatur: Quocirca videamus, quo modo Philosophus noster hoc ædificium construat, & quam ab causam rebus naturalibus tale quid attribuere queat: *Quia* inquit, *nihil sine Deo esse neque concipi potest.* Hanc autem rationem satis firmam esse, cui Conclusionis sequela inniti queat pernegamus, quia noster Philosophus nondum extra dubitationis aleam posuit, Utrum natura Deus sit, an vero secus: & si natura non est Deus, utrum tum Deus ex necessitate naturæ suæ, anvero ex libero arbitrio creaverit & determinaverit. Atque hæc prius & in antecessum, decisa esse debuerant: Nam nunc hæc verba ambigua remanent, & consequenter conclusio plane infirma est atque invalida.

Atque ex his facile judicare est, Dissertationem hanc suo requisito naturalique fundamento carere, quoniam Authoris verba, quibus eam exprimit, adeo generalia sunt, ut, etiam ab iis, quorum sententiæ diversis innituntur fundamentis, atque ab invicem quam longissime distant, admitti queant.

Et consequenter etiam omnia reliqua, quæ de Lege Divina, ex lumine naturali, proponit, plane futilia atque nullius sunt ponderis, quoniam unice innituntur illi fundamento, nempe res naturales Dei essentiam involvere atque exprimere, vel ex illa æterna necessitate emanare: Nam cum ait, *Atque adeo tota nostra cognitio, hoc est, summum nostrum bonum, non tantum a Dei cognitione dependet; sed in eadem omnino consistit*: Et ulterius, *Adeoque ille necessario perfectissimus est, & de summa beatitudine maxime participat, qui Dei, Entis nimirum perfectissimi, intellectualem cognitionem supra omnia amat, eademque maxime delectatur. Huc itaque nostrum summum bonum, nostraque beatitudo redit, in cognitionem scilicet & amorem Dei;* tales rationes, quoniam ex præcedenti fundamento superstructæ considerari debent, non aliter intelligendæ veniunt, quam quod significent, summum bonum summamque beatitudinem in cognitione & amore rerum naturalium sitam esse: Nam Philosophus noster, quemadmodum antea vidimus, nullo alio fundamento conclusit summum nostrum bonum, supremamque nostram beatitudinem in cognitione Dei consistere, quam quia res naturales Divinam essentiam involvant & exprimant, vel ex eadem per æternam necessitatem emanent: Unde porro consequitur, rerum naturalium cognitionem notitiam Dei involvere; ac propterea, cum a nobis ostensum sit, hunc Philosphum, ad hanc suam sententiam confirmandam, hac in Dissertatione, nullum omnino argumentum adduxisse; hinc quoque clare colligi potest, omnia ista sequentia eo usque, ubi inquirere incipit, utrum lumine naturali Deus tanquam Legislator, vel tanquam Dominus & Princeps suarum actionum considerari potest, nec ne; nullum speciale examen mereri, utpote quæ vel vera vel falsa sunt, prout ejus fundamentum vel tanquam verum vel tanquam falsum esse consideratur. Et quoniam in fundamentum hoc, in memorata Dissertatione, ex lumine naturali demum inquiritur, eo usque quoque judicium nostrum de istius Dissertationis, quam jam examinavimus, veritate aut falsitate suspendemus, quo usque, circa alteram illam Dissertationem, investigaverimus, num Philosophus noster ibi veritatem sui fundamenti bene demonstraverit:

in transitu tamen notantes præposterum ejus ordinem, atque obscuritatem, utpote cui jucunditati fuisse videtur, multa præter rationem disserere, atque dictare, agendo in posterioribus de fundamento priorum suarum Dissertationum, quod sane oppido ridiculum existit.

Veruntamen prius, quemadmodum promisimus, indagabimus, quidnam S. Sriptura, de Lumine hoc naturali, nec non de Lege naturæ doceat: Nam si nobis in ea indicatur, beatitudinem aut summum nostrum bonum consistere in rerum naturalium cognitione, vel præmium Legis ipsam Legem esse, & observantiam Divinæ legis positam esse in iis rebus agendis atque exsequendis, quibus rerum naturalium notitiam acquirimus, secundum ea, quæ Pagina 46. & 48. habentur: Nam illum priori loco hunc in modum loquentem audimus. *Media igitur, quæ hic finis omnium humanarum Actionum, nempe ipse* Deus, *quatenus ejus idea in nobis est exigit, jussa* Dei *vocari possunt, quia quasi ab ipso* Deo, *quatenus in nostra mente existit, nobis præscribuntur: atque adeo ratio vivendi, quæ hunc finem spectat, Lex Divina optime vocatur.* In posteriori vero loco hæc sequentia leguntur; *Denique videmus summum Legis Divinæ præmium esse. ipsam legem, nempe Deum cognoscere, eumque ex vera libertate, & animo integro & constante amare; pœnam autem horum privationem. & carnis servitutem, sive animum inconstantem & fluctuantem.* Si, inquam, hæc omnia in S. Literis debite indicata reperimus, Philosophum nostrum profecto non parum profecisse fatebimur, ad suæ opinionis confirmationem, unde etiam hæc accuratius ad examen revocabimus.

Exorditur itaque Philosophus noster Pagina 52. de S. Scriptura agere hunc in modum: *Primum, quod nobis occurrit, est ipsa primi hominis Historia, ubi narratur, Deum Adamo præcepisse, ne comederet de fructu arboris cognitionis boni, & mali, quod significare videtur, Deum Adamo præcepisse bonum agere, & quærere sub ratione boni, & non quatenus contrarium est malo, hoc est ut bonum ex amore boni quæreret, non autem ex timore mali.*

Postquam hæc nostri Philosophi verba & Historiam V. Testamenti inter se contuli, & expendi, fateor iterum maxime me mag-

magnam hujus Philoſophi audaciam atque confidentiam miratum fuiſſe: quoniam hunc S. Scripturæ locum ſic contra expreſſa Textus vocabula audeat interpretari; cum non ignoret, ſuam hanc interpretationem Scriptoris intentioni è diametro contrariam eſſe. Imo tædet me, cum eo de quibusdam S. Scripturæ locis agere, quia ſatis manifeſtum eſt, ipſum ſolummodo S. Scriptura ludere: & niſi res ipſa, reſpectu meorum Lectorum, hic refutationem poſtularet, ad me quod attinet, hanc profecto Diſſertationem ſilentio præteriiſſem. Sed ad rem: *Adamo*, inquit, *ibi præcipi videtur, bonum agere & quærere ſub ratione boni, & non quatenus contrarium eſt malo, hoc eſt, ut bonum ex amore boni quæreret, non autem ex timore mali:* Cum ipſo in textu Geneſ. 3: 17. expreſſe dicatur: *Sed de arbore cognitionis boni & mali nequaquam comedes: eo enim die, quo de ea comederis, morte morieris.*

Admiratione dignum eſt, quare hic Philoſophus iſta Textus verba, *eo enim die, quo de ea comederis, morte morieris*, ſimiliter non allegaverit; cur illa non æque ac præcedentia explicuit? Neque enim concipi poteſt, ullum hominem, illum locum lecturum qui non illico cogitaret, hic præcipi, bonum agere, & malum fugere ex metu pœnæ: cum verba expreſſe dicant, *eo enim die, quo de ea comederis, morte morieris:* Sane ſi hoc ſic intelligetur, idque inpediet, quo minus ſuæ opinioni aſſenſus præbeatur, debuiſſet profecto, ne hoc accideret, pro virili parte operam dediſſe: Debuiſſet propoſuiſſe quo modo præceptum, quo proſecutio boni & fuga mali ex metu pœnæ præcipitur, conſtituendum ſit; atque inde porro oſtendenda fuiſſet differentia, quæ eſt inter præceptum ab ipſo formatum, & inter verba modo allegata; per quam differentiam ulterius demonſtrare debuiſſet, iſtam adductam Hiſtoriam non præcipere, Adamo, ut bonum agat, & malum fugiat ex metu pœnæ: Nam hac ratione rem debite tractaſſet, ac forſitan homines in ſuam ſententiam pertraxiſſet. At jam ſine dubio exiſtimabitur hoc ſilentio tranſiiſſe, quoniam iſt hæc verba nimis evidenter ſuæ opinionis falſitatem indicent. Et ſane e diametro ſuæ opinioni contrarium ex iis ſolide probari poteſt: Nam quem, quæſo, in finem hæc addita ſunt? Quiſnam fuit Legislatoris ſcopus?

pus? Alius ſane eſſe non potuit, quam ut Adamus malo pœnæ, vel eo, quod inobedientiam ſequeretur, ab inobedientià abſterreretur, & ad virtutem amplectendam adduceretur: Atque hoc nequaquam eſt præcipere, *bonum agere ſub ratione boni:* ſed ſpe præmii & metu pœnæ; ita ut hic idem locus optime inſerviat ad probandum, in S. Literis præcipi bonum agere ſpe præmii, & malum fugere metu pœnæ. Cui præterea adjungimus notabilem illum locum Authoris Epiſtolæ ad Hebræos CAP. 12. vers 2, qui unus loco multorum aliorum, qui hujus naturæ in S. Scriptura reperiuntur, ſufficientem, imo abundantem materiam ſuggeret, ut de veritate meorum dictorum certi ſimus. Eo in loco de Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, qui ſecundum Philoſophum noſtrum, *Os atque vox Dei fuit, qui de mente ad mentem cum Deo communicavit*, & qui idcirco etiam omnia tanquam æternas veritates & proſecutionem boni,ſub ratione boni,diſtinctiſſime concepit atque intellexit; de eo, inquam, nihilominus prædicto in loco hæc dicuntur, *Ipſum* (NB.) *pro propoſito ſibi gaudio pertuliſſe crucem, ignominia contempta, & ad dexteram throni Dei conſediſſe.* Nullus dubito, quin jam unusquisque, ſi huic loco omnes alios, qui Chriſtianis pro actione boni vitam æternam promittunt, & pro actione mali ſimilem pœnam minantur, adjungere voluerit, ſatis clare intelliget, in S. Scriptura actiones boni non præcipi ſub ratione boni, ſed ſub ratione mercedis, & pœnæ.

Porro minime exiſtimandum eſt, aliquid huic negotio aut abeſſe aut prodeſſe, quod paulo inferius Philoſophus noſter habet, nempe *ſe malle hunc locum miſſum facere. quia plerique hanc Hiſtoriam ſimplicem eſſe narrationem ſtatuant,& ipſe eam pro Parabola habeat:* quaſi diverſæ illæ conſiderationes etiam rem faciant diverſam, ac ipſe multum concedat, cui alias adhuc diu inſiſtere poſſet.

Minime, inquam, exiſtimandum eſt, hanc opinionum diverſitatem quicquam ad rem facere. Etenim ſi hæc Hiſtoria Parabola eſt, ac idcirco per præceptum de non comedendo fructu arboris cognitionis boni & mali, intelligatur præceptum de bono agendo & malo fugiendo: debemus per verba ſequentia, nempe, *eo enim die, quo de ea comederis, morte morieris*, ſecundum Parabolam intelli-

telligere, ſi enim bonum non egeris & malum vitaveris, pœnam feres. Ac propterea habent verba hæc unam eandemque vim, ſive tanquam in Parabola, ſive tanquam in ſimplici narratione atque Hiſtoria accipiantur.

Quod porro ad illa, quæ ex Proverbiorum Salomonis libro in medium adducere voluit noſter Philoſophus, loca attinet, de iis minime inficias ibimus, Salomonem Intellectus & ſapientiæ fructum permagni æſtimare, & multis laudibus efferre; Atque è contrario Stultitiam, & quæ eam conſequantur, maxime vituperare; nec non indicare aliquam pœnam conſiſtere in ſtultitia, vel in eo quod ſtultitiam directe conſequitur. Neque etiam crediderim ſapientiam in propria ſua natura infructuoſam eſſe: ſed puto unumquemque pronunciaturum eam multis bonis fructibus abundare, eamque propter ſe ipſam amore dignam eſſe: eam quoque nos docere, quomodo vita noſtra inſtituenda ſit, ut nos optimo modo conſervemus. Hæc omnia, inquam, nullus negaverit: At applicationem noſtri Philoſophi ex veritate eſſe factam, ſecundum horum locorum naturam, à me pernegatur: Illa igitur ad examen revocemus.

Pagina 50. de loco Proverbiorum Salomonis, qui Cap. 2. vers 3. habetur, loquitur noſter Philoſophus hunc in modum. *Quibus ſane verbis clariſſime indicat, Quod ſola ſapientia ſive intellectus nos doceat, Deum ſapienter timere, hoc eſt, vera religione colere. Deinde docet, ſapientiam ex* Dei *ore fluere,* D*eumque illam dare, quod quidem nos etiam ſupra oſtendimus, nempe, quod noſter intellectus, noſtraque ſcientia, à ſola* Dei *idea ſive cognitione pendeat, oriatur & perficiatur.*

Hanc applicationem, inquam, ſecundum veritatem eſſe, à me negatur: Quando enim rurſus conſideramus, quomodo Philoſophus noſter in præcedenti ſua Diſſertatione intellexerit, noſtrum intellectum noſtramque ſcientiam *à ſola* Dei *idea ſive cognitione pendere, oriri atque perfici;* evidentiſſime percipere poterimus, hanc applicationem nulli prorſus fundamento ſubnixam eſſe.

In illa Diſſertatione primo oſtendere voluit omnem noſtram cognitionem certitudinemque (nempe circa omnia naturalia) à Dei cognitione vel idea dependere. Secundo omnes ejus conatus-

tus ſe tenderunt, ad oſtendendum, naturalium rerum cognitionem eſſe Dei cognitionem, & conſequenter noſtri intellectus perfectionem, vel noſtrum ſummum bonum, in illa rerum naturalium cognitione conſiſtere: quod hunc in modum explicari poterat, nempe vel eſſe cognitionem Dei, quia naturalium cognitio Dei cognitio erat, vel vice verſa eſſe cognitionem naturalium, quia Dei cognitio Naturalium cognitio erat.

Ut jam ex veritate judicari poſſit, num Salomon hoc ipſum hoc allegato loco ſignificare voluerit, videamus, quænam in hac ratiocinatione reperiatur ſequela.

Dicit Salomon claris verbis. 1. *Quod ſola ſapientia ſive intellectus nos doceat*, *Deum ſapienter timere*, *hoc eſt vera religione colere.* Deinde docet, *ſapientiam & ſcientiam ex* Dei *ore fluere*, *Deumque illam dare.*

Ergo dicit Salomon, Sapientiam nos docere, Deum eſſe timendum, vel Dei Legem conſiſtere in obſervantia illarum rerum, quibus notitia Naturalium acquiritur; ac ulterius, omnem noſtram cognitionem certitudinemque à Dei cognitione, vel ab idea Divinæ eſſentiæ dependere: nec non omnem noſtram cognitionem vel noſtrum intellectum per cognitionem Naturalium perfici, quia cognitio naturalium cognitio Dei, vel quia cognitio Dei cognitio naturalium eſt.

Hic, meo judicio, nulla plane reperitur conſequentia, quia Salomon tantum in genere de ſapientia & intelligentia loquitur, quomodo nempe illa doceat, Deum timere, & quomodo ex Dei ore fluat: non expreſſe indicando, num loquatur de rerum Naturalium ſcientia, an de cognitione Dei, an vero de cognitione Voluntatis Divinæ, & multo minus adhuc, utrum naturalium cognitio Dei cognitio ſit, an vero ſecus. Quamobrem ego & alii mecum illa Salomonis Proverbia æquali jure interpretari poſſunt ſecundum noſtra Sapientiæ & Religionis fundamenta, quam noſter Philoſophus eadem ſecundum ſua applicare poteſt: quoniam generales ſolum ſententiæ ſunt, quæ non determinant, in quibus Dei cultus aut lex poſita ſit, nec etiam de quibus ſcientiis verba faciat: Imo cum rem accurate excutimus, majori jure illa nobis noſtro modo explicare licet, quam Philoſopho noſtro applicare ſuo, quoniam

niamin ejus applicatione comprehenditur ſublatio omnis propriè dictæ providentiæ atque gubernationis, aut remunerationis & punitionis Dei; cum nec præmium nec pœnam agnoſcat, ſecundum primam ſuam Diſſertationem, utpote quæ ſolummodo ex ſcientia aut ignorantia directe profluunt, atque emananr quia præmium Legis Divinæ ipſa lex eſt, & pœna privatio ſcientiæ, quemadmodum ſupra audivimus atque indicavimus. Cum è contrario clare videamus, Salomonem loqui de Dei directione & providentia, nec non de remuneratione & punitione eorum, qui ipſum timent: Hunc enim in modum ipſum loquentem audimus, immediate ante ea verba, quæ noſter Philoſophus ex 3. Cap. adduxit, vers 9, 10, 11, 12. *Honora Jehovam de ſubſtantia tua, & de præcipuo totius proventus tui: Ita implebuntur horrea tua* (NB.) *ſaturitate, & muſto lacus torcularii tui perrumpent. Eruditionem Jehovæ, Fili mi, ne ſpernito, neque tædeat te correctionis ejus: Nam quem diligit Jehova* (NB.) *corrigit, & quidem ut pater filium, cui bene vult.*

In quibus verbis animadvertere licet Salomonem loqui, de ſpeciali quadam remuneratione Dei, nec non de ſingulari quadam caſtigatione. Sed inferius vers 25, 26. ejus verba ſonant in ſequentem modum; *Ne timeto pavore repentino, & a vaſtatione improborum, ut adveniat: Nam Jehova aderit fiduciæ tuæ, & ſervabit pedem tuum à captura.* Et adhuc ſignificantius loquitur vers 32, 33, 34. inquiens: *Nam abominationi eſt Jehovæ præfractus: apud rectos autem arcanum ejus eſt Exſecratio Jehovæ incumbit domui improbi, habitaculum juſtorum benedicitur. Quandoquidem deriſores ipſe deridet, manſuetis autem dat gratiam.*

In quibus omnibus locis, meo quidem judicio, luce meridiana clarius videmus, Salomonem loqui de ſpeciali directione, providentia, remuneratione & punitione Dei: quæ omnia directe contraria ſunt iis, quæ in prima ſua Diſſertatione conatus fuit oſtendere noſter Philoſophus, nempe res naturales Dei conceptum, & conſequenter ejus eſſentiam atque perfectionem involvere atque exprimere: unde etiam omnia fato & naturalium cauſarum concatenatione, ſecundum æternas Principii neceſſitatis leges, determinantur & diriguntur: Quocirca quoque conſequen-

ter illa Salomonis loca interpretanda ſunt ſecundum noſtra cognitionum fundamenta, utpote quæ continent, Deum, qui ſit Legislator & Dominus ac Princeps ſuarum actionum, extra naturam exiſtere; res naturales ab ejus voluntate, & nequaquam ab ejus natura dependere; ac propterea res naturales Dei conceptum, vel eſſentiam & naturam, non involvere, neque exprimere: nec non ſpecialem Dei eſſe directionem atque providentiam, &c. Quæ omnia plene conſentiunt cum iis, quæ adduximus Proverbiis, utpote in quibus ſpecialiter eodem modo Deus loquitur: ita ut alia illa generalia Proverbia non tantum ſecundum hæc fundamenta explicare poſſimus ſed etiam debeamus.

Hinc itaque etiam videre eſt, quam directe contra veritatem altera applicatio à noſtro Philoſopho inſtituta ſit; hunc enim in modum ejus ſonant verba, pagina 54. *Quare felicitas & tranquillitas ejus, qui naturalem intellectum colit, ex mente Salomonis etiam, non ab imperio fortunæ (hoc eſt, Dei auxilio externo) ſed à ſua interna virtute (ſive Dei auxilio interno) maxime pendet, nempe, quia vigilando, agendo, & bene conſulendo ſe maxime conſervat.* Quæ verba, quia Divinam benedictionem, Divinam providentiam atque directionem plane tollunt, (Nam memoratam Dei gubernationem appellat fortunæ imperium) è diametro pugnant cum locis modo allegatis, quoniam in illis admodum ſignificanter de Dei providentia & gubernatione ſermo habetur. Attamen negare nolumus, Salomonem innuere, aliquam beatitudinem & tranquillitatem à ſapientia & ſcientia dependere; Nam antea notavimus, ſapientiam infructuoſam non eſſe, ſed bonis fructibus abundare: Ad tantum dicimus Salomonem non docere, omnem ſapientiæ ac intelligentiæ fructum, in eo, quod directe atque immediate ex ſapientia promanat, poſitum eſſe: imo vero præter hæc affirmamus, Salomonem ipſum expreſſe dicere, omnem fructum ſapientiæ atque intelligentiæ, & vitæ intellectivæ non conſiſtere in eo, quod naturaliter ſequitur, vel immediatus ſapientiæ fructus eſt, quia expreſſis verbis, in præallegatis locis, contrarium ſignificat. Atque hæc ſic, de omnibus illis Salomonis locis ſufficiant.

Ulterius ait Philosophus noster, nullo modo locum Pauli, in Epistola ad Romanos CAP. I. prætereundum esse, quasi ille de hac re plene persuadeat, ac perfecte doceat id, quod noster Philosophus secundum primam suam Dissertationem, per S. Scripturam probare voluerit. Accurate idcirco locum illum expendamus. Ait Apostolus vers 20. *Occulta enim Dei a fundamentis mundi in creaturis suis per intellectum conspiciuntur, & virtus & divinitas ejus, quæ est in æternum, adeo ut sint sine effugio.* Ad quæ verba hæc habet noster Philosophus. *Quibus satis clare indicat unumquemque lumine naturali clare intelligere Dei virtutem, & æternam divinitatem, ex qua scire & deducere possunt, quid iis quærendum, quidve fugiendum sit, adeoque concludit omnes sine effugio esse, nec ignorantia excusari posse, quod profecto possent, si de lumine supranaturali loqueretur, & de carnali passione Christi, & resurrectione, &c.* Hæc autem nostri Philosophi explicatio ipsi à me huc usque in totum conceditur, utpote verbis congruens atque consentiens: sed attendamus ad ea, quæ subjungit: *Et ideo paulo infra vers 24. sic pergit.* Propter hoc tradidit eos Deus in concupiscentias immundas cordis eorum, &c. *Usque ad finem capitis, quibus vitia ignorantiæ describit, eaque tanquam ignorantiæ supplicia enarrat.* Postremum hoc absolute à me negatur, nempe Paulum ea, quæ sub finem prædicti Capitis habentur, describere, tanquam ignorantiæ supplicia, idque quatenus necessario atque naturaliter ex ignorantia oriantur: Verba enim clare indicant, Paulum ea enumerare tanquam causas, propter quas Dei pœnam subierint: hunc enim in modum loquitur vers 28. *Et sicut non visum est eis Deum in notitia retinere, ita tradidit eos Deus in mentem omnis judicii expertem, ut facerent, quæ minime conveniebant: Oppleti* (NB.) *omni injustitia, malitia, scortatione, improbitate,* &c. Quæ verba clare indicant, quod oppletum esse omni injustitia, malitia, &c. proveniens ex non retinendo in notitia Deum Creatorem, causa fuerit, ob quam Deus eos tradiderit in mentem omnis judicii expertem, ut facerent, quæ minime conveniebat, nempe talia, quæ præter naturam sunt, ut quod mares ac fœminæ naturalem usum mutent in eum qui est præter naturam &c. Atque hæc explicatio manifeste mihi videtur cum verbis & scopo Apo-

ſtoli convenire, unde ſaltem in iis, quæ habet noſter Philoſophus, nulla reperitur conſequentia. Sed jam ex abundanti concedere libet, Apoſtolum hæc deſcribere, tanquam pœnas ignorantiæ, ut ſic pateat, an iis admiſſis, adhuc aliquid proficiat.

Cum hujus Quæſtionis cardo in eo duntaxat verſetur, num ignorantiæ pœna conſiſtat in ſcientiæ privatione, & in iis, quæ naturaliter & neceſſario ignorantiam conſequuntur; An vero quoque ſita ſit in eo, quod nobis per imperium fortunæ (nam ſic per contemptum vocat noſter Philoſophus Divinam directionem, providentiam, remunerationem & punitionem, utpote quæ non immediate ex ſcientia & ignorantia emanant) accidit; dicimus, verba Apoſtoli, conceſſo quod ignorantiæ pœnam iſta vitiorum enumeratione deſcribere voluerit, nullo modo intelligi poſſe, ac ſi pœnam, quatenus ex ignorantia emanat; ſed è contrario, quatenus ea à Dei directione dependet, deſcribere in animo habuerit. Expreſſe enim dicit, *ideo tradidit eos Deus in mentem omnis judicii expertem* &c.

Si hæc verba *tradere et non tradere in mentem omnis judicii expertem* non ſignificent, quod Deus tanquam Princeps ſuarum Actionum, ex ſumma ſua libertate homines tradiderit, cum non traditi eſſent, debuiſſet ſane noſter Philoſophus hæc verba ſaltem accurate explicuiſſe, ac poſtea evidenter oſtendiſſe, Apoſtolum hoc intendere: Nam cognitum jam eſt, hæc verba, ſecundum communem Scripturæ uſum, ſemper præcedenti modo accipi: At vero, quoniam horum omnium ne jota quidem reperiatur, jure merito dicere licere exiſtimo, tanto Philoſopho ignominiæ dedecori eſſe, iſtum in modum S. Scripturæ loca allegare: tanquam ſi ſe ipſis interpretandis apta nata forent, ac quaſi omnes Chriſtiani iſtis verbis ſecundum ſua fundamenta ſenſum artribuere neſcirent. Optime profecto novit, quomodo in re aliqua probanda procedendum ſit, & præſertim cum tale quid adferre volumus, quod directe communi ſententiæ adverſatur.

Sane cum hanc diſſertandi methodum, quæ ubique hoc in Tractatu occurrit perpendo, cogitationem meam illico ſubit, hunc Philoſophum toti Chriſtianiſmo pulverem in oculos injicere voluiſſe,

fuisse, ac eos præpostero ordine, ac multarum rerum disconvenientium confusione atque permixtione ita perturbare, ut ab una parte Religionem viderent profanatam, imo annihilatam, & ab altera parte se ineptos sentirent, qui hanc mentis perturbationẽ dispellerent: ut ita aliquando occasio sibi daretur, ex hac confusione, per sua Philosophica fundamenta, majori claritate ad omnis Religionis eversionem proposita, utilitatem captandi, commodisque suis consulendi.

Sed his missis, existimamus nos evidenter jam ostendisse, nostrum Philosophum nequaquam ex scriptura probasse, ipsam cum ejus opinionibus & dictaminibus, de Lumine & Lege naturali, convenire atque consentire. Unde quoque jam merito nos conferimus ad ultimam Dissertationem, quæ hujus Capitis secunda est, quæque fundamentum omnium ejus profanarum Thesium continet, ut cujus efficaciæ atque roboris ea sit existimanda exploremus.

Pagina 48. disserit Author noster hunc in modum. *His sic notatis, inquirendum jam est, num lumine naturali concipere possimus, Deum veluti legislatorem, aut principem, leges hominibus præscribentem.* Atque hujus rationem ut explicet atque aperiat, paucis interjectis, his verbis exordituic.

Quod circa primum statuendum sit facile deducitur ex natura voluntatis Dei, quæ à Dei intellectu non nisi respectu nostræ rationis distinguitur, hoc est, Dei voluntas & Dei intellectus in se revera unum & idem sunt; nec distinguntur, nisi respectu nostrarum cogitationum, quas de Dei intellectu formamus, exempli gratia, cum ad hoc tantum attendimus, quod natura Trianguli in natura Divina ab æterno continetur, tanquam æterna veritas, tum dicimus, Deum Trianguli ideam habere, sive naturam Trianguli intelligere; sed cum postea ad hoc attendimus, quod natura Trianguli, sic in natura Divina continetur, ex sola necessitate Divinæ naturæ, & non ex necessitate essentiæ & naturæ Trianguli, imo quod necessitas essentiæ & proprietatum Trianguli, quatenus etiam ut æternæ veritates concipiuntur, à sola necessitate Divinæ *naturæ & intellectus pendeat, & non ex natura Trianguli, tum id ipsum, quod* Dei *intellectum vocavimus,* Dei *voluntatem sive decretum appellamus. Quare respectu* Dei *unum & idem affirmamus, cum dicimus* Deum *ab æterno decrevisse tres angulos Trianguli æquales esse duobus rectis, vel* Deum *hoc ipsum intellexisse. Un-*

de ſequitur Dei *affirmationes & negationes æternam ſemper neceſſitatem ſive veritatem involvere*

Quocumque modo hanc ratiocinationem aut argumentationem examino, quam accurate eam contemplor atque conſidero, nihil aliud tamen in ea videre poſſum, quam quod ſolummodo inſerviat, ad Authoris mentem ſententiamque, circa Dei voluntatem atque intellectum, explicandam atque ob oculos ponendam: Minime vero ad ejus opinionem de Dei voluntate atque intellectu probandam atque demonſtrandam, quod his tamen præprimis præſtandum fuerat: Eſt enim hoc fundamentum omnium ejus profanarum Theſium, quæ hoc in Tractatu reperiuntur. Fundamento igitur non probato, aut non demonſtrato, reliqua omnia incerta atque dubia relinquuntur: ac iis nihil aliud cognoſcitur, quam ſola hujus Philoſophi ſententia, cujus ſane cognitio non multum Chriſtianiſmi intereſt, utpote qua minime à ſuis ſuperſtitionibus atque fundamento deſtituta fide, quas ipſi hic Author adſcribit, liberari poteſt: quoniam præter rationem eſt, aliquid provero aſſumere propterea quod ab aliquo aſſeratur aut dictetur. Ut igitur veritatem ejus quod de hac ratiocinatione affero atque aſſero, clare atque diſtincte ob oculos ponam, eum in finem ab ipſo hoc Philoſopho diſcamus, quomodo hujusmodi quid probandum ſit, ac deinceps non magno negotio colligere poterimus, num ipſe hic proprias ſuas leges obſervaverit, an vero ſecus. Locus, ubi nos id diſtincte docemur, in ipſo Authoris noſtri Tractatu pagina 70. occurrit, atque in præcedentibus quamvis alium in finem, pagina 39. præallegatur, nec non meretur, ut denuo relegatur. In eo proponit noſter Philoſohus, quo pacto in Dei exiſtentia, utpote per ſe minime nota, demonſtranda, procedere oporteat; videlicet, non tantum ex cognitis eſſe progrediendum, ſed etiam ex ita cognitis, quorum veritas adeo certa atque inconcuſſa ſit, ut illa à nulla potentia, qualiscumque tandem ea ſit, vel immutari, vel in falſitatem converti queat, quemadmodum eo loci clare atque diſtincte legere atque intelligere eſt.

Quam parum ſane proprias ſuas leges hic obſervavit noſter Philoſophus! Ubinam in hac ratioctinatione, aut prope eam, illa cog-

nita reperiuntur, ex quibus ſuam concluſionem deducit? Non levi profecto dignum eſt admiratione, nihil eorum ullibi conſpici, ac à principio ad finem uſque nil niſi ejus temeraria atque audacia obtrudi dictamina, quibus pro authoritate aſſerit, & quidem ſatis confuſe, *Dei voluntatem & Dei intellectum in ſe revera unum et idem eſſe; nec diſtingui, niſi reſpectu noſtrarum cogitationum, vel noſtræ rationis:* ipſum intelligere ab intellectu, & ipſum velle à voluntate minime diſtinguendo, tanquam ſi hæc non niſi unum ac idem forent. Quo non tantum totius quæſtionis inter ipſum & Chriſtianos controverſia determinatur ac deciditur, & illi machina paratur, quo omnem illorum religionem, ut quidem putat, diruat atque disjiciat; ſed etiam res ipſa adeo confuſa atque perturbata redditur, ut nullum alium in finem excogitatum videtur, quam ad Lectorum animos perturbandos atque obſtupefaciendos. Etenim quo pacto res magis confundi atque inverti poteſt, quam ſi ſermo habeatur de intellectu, de voluntate, de τῷ intelligere & τῷ velle, ac de omnibus his promiſcue, quemodmodum inter ſe in allegata ratiocinatione permixta reperiuntur, ſine ulla adhibita diſtinctione, aut etiam probatione, qua hæc minime diſtingui debere, oſtendatur? Sane nimis inordinate ac præpoſtere hoc in negotio proceditur, & quidem circa ipſum fundamentum, quod præ cæteris accurata tractatione, & exacta conſideratione dignum. Quiſnam autem eſt, cui non perſuaſum & fixum in animo ſit, hunc Philoſophum noſtrum, cum omnem proprie dictam Religionem ſubvertere ſibi propoſitum habuerit, ſumma prudentia atque exactitudue uti debuiſſe, in fundamento ſuo, cui omnia innitantur, ponendo atque jaciendo? Etenim affectabitne quis cæteris Philoſophis atque Chriſtianis omnibus ſapientior videri? oppugnabitne è diametro omnia illorum fundamenta? deridebitne tam ſæpe in ſuo Tractatu Chriſtianos, tanquam ſi nullo fere ingenio atque intellectu præditi forent? & interim tam temere, tam pueriliter, ac quaſi fere omnium ignarus, ſe geret? Profecto hæc tantum Philoſophum minime decent, imo ipſi ſummæ ſunt ignominiæ.

Præ-

Præter hæc ejus dictamina reperimus quoque in hac ratiocinatione ejus ſententiam, exemplo declaratam atque illuſtratam, nempe Trianguli, quod exemplum etiam nequaquam tanquam argumentum conſiderari poteſt, quoniam exempla ſua natura minime quæſtioni probandæ inſervire queunt, utpote ad id nullam in ſe vim aut efficaciam continentia: ita ut, omnibus excuſſis ac penſitatis, animadvertere nequeamus Authorem noſtrum rem hanc probare ne conatum quidem fuiſſe, aut in animum, induxiſſe: Quamobrem etiam omnia in incerto atque ambiguo relinquuntur.

Attamen ne videamur, hanc ejus ratiocinationem & peculiariter hoc ejus exemplum nimis temere rejicere atque dimittere, quoniam perſæpe accidit, ut exemplo aliquo, quod non tam ſpeciem exempli præ ſe fert, quam ejus, de quo aliquem perſuadere volumus, naturam continet atque exhibet, ipſam rem tam clare ob oculos ponamus, ut propter ejus perſpicuitatem eximiam, ſine difficultate ab adverſario concedi queat; penitius, quæ hoc exemplo contineantur, inſpiciamus, a que perpendamus, idque eo magis, quoniam illud, tanquam Divini intellectus atque voluntatis actionem conſiderari debere arbitratur atque contendit noſter Author.

Exemplum itaque hoc, nec non explicatio ejus allata, quomodo nempe natura Trianguli à Deo ab æterno intelligatur, & quidem non ex & propter naturam Trianguli, ſed duntaxat ex & propter neceſſitatem ipſius naturæ Divinæ, imo quod natura Trianguli talis, qualis eſt, ex neceſſitate naturæ aut intellectus Dei ſit, hæc omnia, inquam, à me pleniſſime conceduntur, utpote meo judicio veriſſima. At negamus, hæc omnia jure aliquo Divinam voluntatem, aut Divinum decretum appellari poſſe, quemadmodum id facit Author noſter: Nam, quæſo, omnes noſtræ cogitationis nervos intendamus, ac exacte accurateque perpendamus, num aliquod diſcrimen in ſequentibus, etiam reſpectu noſtrarum cogitationum, animadvertere queamus. *Cum ad hoc attendimus*, inquit noſter Author, *quod natura Trianguli in natura Divina ab æterna continetur, tanquam æterna veritas, tum dicimus Deum Trianguli ideam habere, ſive naturam Trianguli intelligere; ſed cum poſtea*

ad

ad hoc attendimus, quod natura Trianguli sic in natura Divina *continetur ex sola necessitate divinæ naturæ, & non ex necessitate essentiæ & naturæ Trianguli; imo quod necessitas essentiæ & proprietatum Trianguli, quatenus etiam ut æternæ veritates concipiuntur, à sola necessitate divinæ naturæ & intellectus pendeat, et non ex natura Trianguli, tum id ipsum* Dei *voluntatem sive decretum appellamus.* Exacte, inquam accurateque perpendamus, num aliquod discrimen in his, etiam respectu nostrarum cogitationum animadvertere licet: Me quod attinet, nullum in iis discrimen reperire possum. Nam in primo membro solummodo ac simpliciter indicatur, Deum naturam Trianguli intelligere: in altero vero duntaxat superadditur, Deum naturam Trianguli intelligere ex necessitate propriæ naturæ, & non ex necessitate naturæ Trianguli: Unde porro palam est, secundum hoc membrum non aliter, quam tantum veluti explicationem primi, debere considerari, nempe quod τὸ Divinum intelligere Trianguli duntaxat resultet ex necessitate Divinæ naturæ: ita ut in utroque ab intellectu Dei, vel ut clarius loquar à τῷ intelligere Dei non recedatur, cum neutrum communionem habeat, cum eo quod ego τῷ velle Dei, vel Divinas volitiones voco. Quin imo, id, quod subsequitur, & cui quis maximam vim in esse posset existimare, nempe, *quod natura Trianguli, quatenus ut æterna veritas concipitur, à sola necessitate Divinæ naturæ, & non ex natura ipsius Trianguli pendeat*, nullam omnino communionem habet cum eo, quod τῷ velle Dei appello: Sed eo nihil aliud, ut ego quidem interpretor, significatur, quam quod natura Trianguli, quatenus tanquam æterna veritas concipitur, à τῷ naturali intelligere Dei dependeat.

Hinc autem clare perspicere licet in tota hæc ratiocinatione ne minimam quidem vim atque efficaciam ad probandum atque confirmandum, τὸ Dei intelligere atque velle unum & idem esse, ullibi occurrere, sed solam explicationem, quid nempe noster Philosophus Dei intelligere & Dei velle nominet; quibus appellationibus & nostras æquali loco atque ordine opposuimus, ut sic evidenter ob oculos poneremus, quam leviter, & absque firmo nexu

hæc omnia cohæreant; Jam enim ſatis perſpicue videre eſt, ejus appellationes nihilo magis, quam meas, hanc quæſtionem aut hanc magni momenti controverſiam determinare atque decidere. Hic itaque deficiunt omnia argumenta quibus hic Philoſophus, profanum ſuum fundamentum ſtabilire atque ſulcire debuiſſet, & hoc cuilibet tam clare atque evidenter oſtenſum eſſe exiſtimo, ut ſecure hac in re aſſenſum omnium eorum, qui hujus quæſtionis cognitionem ſua intereſſe exiſtimant, exſpectem, ac mihi denegatum iri nullus dubitem.

Atque hinc jam ulterius clare deducere licet, quid de reliquâ hujus Diſſertationis parte nempe, ad Tertiæ initium usque judicandum ſit, nimirum, omnia fruſtra & nullius momenti eſſe, utpote quæ in ſe ne leviſſimum quidem examen merentur, quoniam non alio ſpectant, quam ad explicandum, quomodo Revelationes ex hoc jam poſito fundamento conſiderandæ veniant. Etenim, quandoquidem jam oſtendimus, fundamentum ſine ulla annexa probatione duntaxat eſſe dictatum, ſequitur etiam reliquas omnes eo ſuperſtructas, rationes nihil aliud, quam mera noſtri Magiſtri dictamina eſſe. Unde iis amplius inhærere, operæ pretium eſſe non ducimus, nulli dubitantes, quin ex iis, quæ huc uſque de prioribus diximus, levitas poſteriorum ſatis ſuperque in aperto poſita ſit, atque ſimul confidentes, candido benevoloque Lectori hactenus, pro ut res exigebat, ſatisfactum eſſe.

ATque ita exiſtimamus nos naturam, atque formam hujus profani Tractatus clare & diſtincte ob oculos poſuiſſe, pro certo habentes, ununquemque, cui ea quæ in præcedentibus attulimus perpendere libebit, mecum judicaturum, hunc Tractatum, quantumcunque doctum & celebrem Philoſophum authorem habeat, ne ullo quidem fundamento ſubnixum eſſe: Ac conſequenter controverſiam de Religione, nec non de natura Dei reſpectu hujus libri, integram adhuc, & ſub judice manſiſſe. Quocirca etiam hic jure merito finem facere poſſemus. Attamen ulterius libet progredi, naturamque iſtius Philoſophicæ

phicæ Thesios paulo magis ventilare, ut hujusce Tractatus natura aliquanto clarius detegatur, simulque omni ex parte, & ejus confusionem, & quod per se ipsum refutari queat, evidenter ob oculos ponamus. Verum enimvero apprime hic considerari volumus, scopum nostrum in sequentibus nequaquam esse, ut opinionem & sententiam, quam de Deo Deique natura fovet noster Philosophus, ex professo confutemus. Ratio est, Quia Authoris sententia hoc in Tractatu non probatur neque demonstratur; unde consequenter ejus argumenta atque rationes quas sibi reservavit, neque dilui neque refelli queunt: At hanc ob causam nobis, quoniam non alium scopum, quam hujus libri confutationem, nobis præfixerimus, suffecerit, Authoris sententiam, per ea, quæ in proprio ejus Tractatu reperiuntur, confutasse acque evertisse.

Ut igitur hac in re debitò ordine & firmo talo procedamus, primum, & ante omnia status Quæstionis recte determinandus venit. Etenim, quamvis recte dicatur, totius Quæstionis cardinem in eo versari, Utrum Deus tanquam Legislator, ac tanquam Princeps suarum actionum considerari possit, cujus Negativam Philosophus noster, & nos affirmativam partem tuemur: Nihilominus tamen circa hanc Quæstionem, vel circa diversitatem opinionum, quas de ea habemus, investigandum venit, atque dispiciendum, Num Quæstio hæc ultimum contineat fundamentum, an vero ad ulterius progredi queamus, ex cujus veritate judicium circa eam ferendum sit, quænam disceptantium pars veritati consentiat, & quænam ab ea discrepet. Certum enim est semper inscite atque temere disputari, dummodo ad infimum fundamentum à quo reliqua omnia dependent, non descendatur.

Quoniam vero Philosophus noster suæ opinionis atque sententiæ veritatem voluit probare atque deducere ex consideratione ejus, quod Dei voluntas & Dei intellectus unum & idem sint, non distinguendo intellectum ab intellectione seu τῷ intelligere, nec voluntatem à volitione seu τῷ velle; dicimus, hæc, ita confuse non debere considerari. Non enim Quæstio nostra in eo sita est, Utrum Dei intellectus & Dei voluntas unum & idem sint: Nam à me cōceditur unam eandemque realitatem & divinum intellectum

& divinam voluntatem constituere: Hactenus enim mihi admodum clarum est, simplicem realitatem Divinam essentiam constituere; atque adeo unam eandemque realitatem diversis appellationibus, utpote quæ diversa habet attributa, respectu diversarum operationum, quæ ex aut per illam essentiam efficiuntur, recte posse atque etiam debere denominari, veluti intellectus voluntatis & potentiæ: ita ut in eo quæstio nostra consistere nequeat; At in hac re solummodo ejus cardo volvitur. An puta actiones aut operationes istorum attributorum constituentium aut istius constituentis realitatis revera unum idemque sint: & an illæ inter se non, nisi respectu nostrarum cogitationum, distinguantur; hoc est, An respectu Dei, vel istius essentialis realitatis dicendum sit, quando Deus intelligit, Deum velle, Deum operari: & rursus quando vult, & quatenus vult, Deum intelligere, Deum operari; nec non quando operatur, & quatenus operatur, Deum intelligere, Deum velle; utpote quæ semper una eademque sit actio, quibusnam etiam nominibus indigitetur. In hac, inquam, re totius cardo quæstionis vertitur. Etenim si illæ actiones in Deo unæ eædemque sint, etiam indubitato consequitur, Deum suarum actionum neque Dominum neque Principem esse, quoniam omnes actiones simul sumptæ aut actuositas ab essentia Divina distingui nequeunt: ac propterea si omnes divinæ actiones revera unæ eædemque sunt, nullæ etiam ab ejus essentia distingui possunt, atque adeo Deus operatur, quatenus existit, & non aliter: atque ille, qui solummodo operatur, quatenus existit, non nisi ex necessitate naturæ suæ operatur, proinde etiam non est Dominus ac princeps suarum actionum. Et rursus, si omnes Divinæ actiones unæ eædemque non sint, ab altera parte econtra æque evidenter atque necessario sequitur, Deum esse Dominum atque principem suarum actionum. Nam si omnes Divinæ actiones non unæ eædemque sint, sequitur eorum aliquas ab ejus essentia distingui quidem posse: At vero actiones quæ ab essentia Divina distingui queunt, eæ etiam ex necessitate divinæ essentiæ provenire nequeunt, atque adeo consequenter à Deo non fiunt, quatenus existit. Porro qui agit & quidem non quatenus existit, ille est dominus & princeps

ceps suarum actionum. Ac proinde tantum in hoc prænotato omnis nostra quæstio consistit atque posita est.

Quemadmodũ igitur clare distincteque deteximus, quid sit quod Deum proprie reddat atque constituat Dominum atque principem suarum actionum, aut etiam non reddat atque constituat, videlicet, unitas aut diversitas suarum actionum: & quoniam consequenter hac in quæstione ab una atque altera parte nulla argumenta formari queant, nisi eum in finem, ut iis duntaxat vel unitas vel diversitas illarum actionum stabiliatur: sic etiam eo, quo res exigit, modo nostra argumenta, circa hoc postremum, facere aut formare nequimus, nisi prius bene distinguamus, an nempe hoc postremum primum atque unicum principium sit, circa quod argumenta formari atque versari debeant; an vero natura atque conditio, hoc est, unitas aut diversitas divinarum actionum cognosci debeat per aliud quid, quod jam antea probandum veniat. Etenim si hoc nobis non debite dignoscatur, facile contingeret, nostra argumenta tali fundamento superstructa fore, quod à nostro Philosopho negari posset, per quam negationem omnia à nobis adducta argumenta invalida fierent atque pro talibus haberentur: Ac propterea pernecessarium est ut hoc prius bene recteque dignoscatur: & si hac methodo comperiemus, hanc postremam Thesin principium non esse, eandem ab rationem necesse habebimus eadem methodo progredi, quousque tandem verum atque unicum principium offendamus, circa quod nostra argumenta utiliter atque cum fructu formari atque versari queant.

Ut igitur hic bene distinguamus, notamus primo id quod jam indigitavimus, nempe per unitatem Divinarum actionum significari, quod Deus non aliter operatur, quam duntaxat quatenus existit, vel tantum ex necessitate suæ existentis essentiæ: & ab altera parte per diversitatem ejus actionum denotari, quod Deus non tantum operatur ex necessitate suæ existentis essentiæ vel quatenus existit, sed etiam quatenus ex libero suo arbitrio vult aut non vult operari, & hoc aut illo modo operari.

Hinc itaque ulterius progredimur dicimusque omnes operationes aut omnem actuositatem, quæ in aliquo Ente ex vi naturæ i-

ſtius entis, vel ut diſtinctius me explicem quæ ex neceſſitate ejus exiſtentiæ in illo ente ſunt, etiam ad conſtitutionem iſtius entis penitus pertinere, quoniam ex proprietate illius entis profluunt, vel quoniam proprietatem aliquam iſtius entis conſtituunt, unde clare atque diſtincte conſequitur, tale ens, a quo ejus operationes diſtingui nequeunt, nullum effectum poſſe producere, idque propter ſequentes rationes. Primo, quia effectus non concurrit ad eſſentiam cauſæ conſtituendam, ſed omni ex parte à cauſæ eſſentia diſtinctus eſt, unde etiam illæ operationes, quæ ad conſtitutionem alicujus effectus pertinent, neceſſario etiam ab eſſentia cauſæ diſtinctæ eſſe debent. Secundo, quia effectus ſimul cum ſua cauſa eodem temporis momento cæpiſſe exiſtere non poteſt: ratio eſt, quia effectus, utpote qui ſemper neceſſario contingentem exiſtentiam habeat, neceſſario exiſtenti cauſæ coœternus exiſtere nequit, cum è diametro hæc ſibi repugnent; & quoniam effectus, ſi ab ejusmodi ente neceſſario exiſtenti produci poſſet etiam ſimul cum cauſa eodem temporis momento cæpiſſe exiſtere debuiſſet, clare atque evidenter conſequitur, ab ejusmodi Ente nulla proficiſci poſſe effecta; idque eo magis, quia talis ſimultaneo tempore exiſtentia talis cauſæ & effectus quamplurima involvit abſurda, veluti quod eo infinitas Entis neceſſarii tollatur, quoniam hac ratione duo pluraque, imo in infinitum uſque multa coæterna exiſtentia Entia eſſe potuiſſent atque debuiſſent, & quidem alia neceſſaria, alia vero contingentia, quod maxime ac ſummopere abſurdum exiſtimari debet.

Atque hinc porro ſequitur, duas has Theſes, nimirum de unitate ſeu identitate & diverſitate Divinarum Actionum ex natura ſua adeo à ſe invicem eſſe ſeparata atque diſtantia, ut ſecundum ipſas etiam diverſa Entia pro Deo ſint agnoſcenda: Ita ut tota noſtra diſputatio dilabatur in integram Dei Eſſentiam. Etenim quoniam ex natura Philoſophi noſtri Theſios intellexerimus, nullum ſecundum ipſam effectum eſſe poſſe, & quoniam omnes perſuaſi ſumus Naturam exiſtere, illamque, ex conſequentia iſtius Theſios, non eſſe effectum, clare conſequitur, illam Theſin exiſtentem naturam facere Deum: & ab altera parte meam Theſin, quæ Ens,
quod

quod ex deliberatione & consulto operatur, requirit, secundum quam memorata existens natura, tanquam Effectus spectari debet, ens extra naturam, videlicet Dominum ac Principem suarum actionum constituere Deum: Neque enim hic Tertium datur, quoniam cognitum atque perspectum est, Naturam existere, cum per ejus existentiam tertium plane tollatur.

Hinc itaque clare distincteque perspicimus, quod omnia mea argumenta, quæ à natura desumpsissem, vel in natura, instar effectus considerata, fundassem, ut adversus hunc Philosophum probem, Ens quod extra naturam existit, & Deus est, deliberato consilio operari, vel Dominum ac Principem suarum actionum esse, plane frustra atque vana fuissent; quoniam ex differentia nostrarum Thesium, in tota Dei essentia differimus. Unde consequenter totius nostræ disputationis fundamentum in sæpius jam memorata natura positum est, & quidem hoc respectu, Utrum nempe ea effectus sit, an vero secus. Nam ab una parte si non sit effectus, illa Deus est, idque necessario sequitur; & ab altera si sit effectus extra se causam requirit, quæ illam consulto atque libere produxerit. Ita ut totius nostræ Quæstionis cardo in hoc unico versetur, utrum nempe natura sit effectus, nec ne? Atque adeo hoc est unicum principium & argumentum Quæstionis, quoniam plene persuasi sumus atque certi, existentiam Naturæ per se cognitam esse; Unde etiam altius aliud fundamentum investigare non habemus, sed hic pedem figere sufficiet.

Quamvis autem jam ex natura Thesios Authoris satis evidenter deduxerimus, ab ipso Naturam pro Deo agnosci, atque haberi, quoniam unitas seu identitas Divinarum Actionum hoc requirit; nostra deductio solummodo innitens nostri Philosophi denominationibus, quibus Dei intellectum & voluntatem ipsi placuit exprimere, utendo nempe nominibus volitionum & decretorum, ut & affirmationum & negationum, quæ cunctæ denominationes in Deo proprie dictas Actiones videntur denotare, vel saltem denotare deberent: Attamen jam idem ex ipsius propriis descriptionibus clare ob oculos ponemus.

Per-

Perpendendo igitur hunc in finem locum, in quo Philoſophus ſententiam ſuam expreſſit, & de quo jam antea oſtendimus, nullas ne vel minimas quidem probationes in eo reperiri, occurrit nobis ibi, quod putet, Dei voluntatem atque intellectum unum atque idem eſſe. Nam inquit, *reſpectu Dei unum & idem affirmamus, cum dicimus Deum ab æterno decreviſſe & voluiſſe tres angulos Trianguli æquales eſſe duobus rectis, vel Deum hoc ipſum intellexiſſe.*

Quando autem hic ulterius conſideramus, quomodo Philoſophus noſter τὸ Dei intelligere deſcribat, clare videre poſſumus, ipſum id non deſcribere tanquam actiones intellectus, quatenus intellectus, ut principium libertatis, conſideratur, ſed ſolummodo tanquam modificationes Eſſentiæ Divinæ, quæ ex ejus eſſentia vel ex neceſſitate Naturæ ejus emanant: Nam, *cum* inquit *adhoc tantum attendimus, quod natura Trianguli in natura Divina ab æterno continetur, tanquam æterna veritas, tum dicimus Deum Trianguli ideam habere, ſive naturamTrianguli intelligere.* Quæ verba nempe, *quod natura Trianguli in natura Divina ab æterno continetur*, non alio modo intelligi poſſe videntur, quam quod natura, ſeu eſſentia Trianguli modificatio quædam Divinæ abſolutæ eſſentiæ ſit, quæ ex æterna neceſſitate ab ejus natura emanat. Nam cum proprie dicta actio neceſſario agens requirat, quod ab actione eſſentialiter differat, ſequitur, omnes proprie dictas actiones à principio aliquo libertatis, vel ab agente libero ortum ſuum habere: Atque adeo, quoniam τὸ Dei intelligere hic deſcribitur eſſe quandam Divinæ eſſentiæ modificationem, quæ ex æterna neceſſitate à Dei natura emanat, ſequitur, rerum vel veritatum eſſentiam proprie Divinæ eſſentiæ modificationem eſſe; Unde ſemper unum idemque affirmamus, quando ad alicujus rei eſſentiam attendimus, eam eſſe ipſius rei naturam, & Divinæ eſſentiæ modificationem, quæ æterna neceſſitate ex Natura Dei emanat.

Præterea, quoniam Philoſophus noſter addit, nos *reſpectu Dei unum idemque affirmare, cum dicimus Deum ab æterno decreviſſe, & voluiſſe tres Angelos Trianguli æquales eſſe duobus rectis, vel Deum hoc ipſum intellexiſſe*, inde ſequiter nullas proprie dictas actiones in

De

Deo concipiendas esse & consequenter, etiam in rerum natura nullas plane actiones concipi posse. Etenim si in Deo nullæ actiones concipi queant, etiam nulla potest concipi creatio; si nulla concipi potest creatio, nulli etiam in rerum natura sunt effectus; si nulli reperiuntur effectus, etiam consequenter in rerum natura nullæ sunt actiones: Ex quibus etiam porro sequetur, omnes differentias, vel omnes differentes essentias, quæ in rerum natura occurrunt, nihil aliud esse, quam solummodo Divinæ essentiæ modificationes, quæ per æternam necessitatem à Dei natura emanant: Et sic prædicta natura, quam existere cognitum est, ipsa est Deus, quod hic legitime concludere intendebamus.

Tametsi verò consequentiæ, per quas jam, duobus præcedentibus modis, ostendimus, Authorem nostrum prædictam naturam, tanquam Deum, considerare, simplices & in promptu sint, ita ut Philosophus noster ipse nequaquam inficias iturus sit iis recte atque solide esse ostensum, se cognitam Naturam pro Deo habere atque agnoscere: Nihilominus, quibusdam locis, ex ejus Tractatu adductis, ostendemus, ipsum, congruenter his consequentiis, naturam pro Deo, & singulares rerum essentias, tanquam Divinæ essentiæ modificationes, quæ necessario ex Divina natura emanant, agnoscere atque considerare.

Quod ad primum attinet in prioris Capitis IV. Dissertationis examine vidimus, Philosophum nostrum eo loci ostendere conari, quod, quò res naturales magis cognoscuntur, eo majorem etiam Dei notitiam haberi: idque ideò quod res naturales Dei essentiam involvunt atque exprimunt, vel quod essentiæ rerum naturalium, per æternam necessitatem, ex Dei essentia vel ex Dei natura emanant: ibi enim ostendimus, quod, si alterutro præcedentium modorum ut istius illationis fundamentum non consideretur, in ea etiam nulla reperiatur sequela.

Pagina 69. hunc in modum ipsum audimus dissertantem, *Quod nimirum potentia naturæ sit ipsa divina potentia & virtus: divina autem potentia sit ipsissima Dei essentia*: & paulum inferius, *Nam cum virtus & potentia naturæ sit ipsa Dei virtus & potentia, leges autem & regulæ naturæ ipsa* Dei *decreta, omnino credendum est, potentiam naturæ infi-*

nitam eſſe, *&c.* Sic quoque pagina 175. ait; *Naturæ enim potentia ipſa Dei potentia eſt*, &c. Ex quibus omnibus, ſimilibusque locis manifeſte paret, Authorem noſtrum Naturam pro Deo habere.

Quod porro alterum ſpectat, ſic loquitur, pagina 68. *Oſtendimus ex eo*, *quod Dei intellectus à Dei voluntate non diſtinguitur*, *idem nos affirmare*, *cum dicimus Deum aliquid velle*, *ac cum dicimus*, *Deum id ipſum intelligere*, *quare eadem neceſſitate*, *qua ex natura & perfectione divina ſequitur*, *Deum rem aliquam*, *ut eſt*, *intelligere*, *ex eadem ſequitur*, *Deum eandem*, *ut eſt*, *velle.* (intelligendo per velle & intelligere, ſecundum Capitis IV. locum & exemplum de Triangulo, nihil aliud, quam in Divina natura contineri ex neceſſitate naturæ divinæ.) *Cum autem nihil*, *niſi ex ſolo divino decreto neceſſario verum ſit*, *hinc clariſſime ſequitur* (NB.) *Leges naturæ univerſales mera eſſe decreta Dei*, *quæ ex neceſſitate & perfectione naturæ divinæ ſequuntur.* Quia Dei intelligere & Dei velle nihil aliud eſt, quam rerum eſſentias in Dei eſſentia ſive natura contineri, idque ex neceſſitate divinæ eſſentiæ, hinc univerſales naturæ leges, quæ hic Dei decreta appellantur, ſunt leges Naturæ Divinæ, quæ ex perfectione ejus eſſentiæ neceſſario ſequuntur, Ac propterea etiam omnes naturæ vel rerum naturalium determinationes ſunt meræ Dei eſſentiæ modificationes, quæ ex neceſſitate naturæ ejus, per concatenationem, emanant.

Antequam verò pergamus, ut, ſecundũ hujus Tractatus naturam, demonſtremus, Naturam eſſe effectum; quædam adhuc in anteceſſum conſideranda veniunt, reſpectu nimirum ejus Tractatus, & quidem eum in finem, ut adhuc diſtinctius intelligamus, quidnã de eò ſentiendum ſit: Et hoc non ſolum quia nobis nullo pacto imaginari debemus ipſum Authorem inſciũ atque ignarum eſſe naturæ Theſios ſuæ, quoniam ſequela non tantum ſimplex atque obvia eſt, Ipſeque, cum ingenio intellectuque deſtitutus non ſit, illam etiam quidem colligere valuit: ſed præterea quia illam hinc inde ſatis ſuperque, tanquam digito commonſtraſſe videtur, tales loquendi modos adhibendo, qui, licet ab intelligentibus percipi poſſunt, nihilominus, urgente neceſſitate, vel ut authoritatem conſtitutionemque omnium aliarum ſuarum diſſertationum ſartam tectam conſervare poſſet, aliam explicationem admittant. Prius-

Priusquam verò hæc debite vel cum fructu indicare queamus, necessarium est, bene distincteque percipere, quo modo natura, si sit Deus, nobis cogitanda atque consideranda, vel quisnam conceptus de ea faciendus sit; ut vis considerationum, ex ea desumptarum, recte atque firmo fundamento applicetur: Si enim ignoremus, quomodo naturam, si sit Deus, considerare debeamus, erimus quoque inepti, non tantum ad considerationes illas, respectu hujus Tractatus, sed etiam ad confutationem hujus Theseos bene percipiendas atque intelligendas.

Non ducimus consultum, ex ipso duntaxat nostri Philosophi Tractatu, prædictas considerationes haurire atque proponere: ratio est, quia ejusmodi inniti fulcris, quæ levissimo negotio disjici, aut tam ruinosis super ædificare nolumus fundamentis, quæ vel minima vocabulorum contorsione everti possent. Sed satius existimamus, primò more Geometris usitato, ex defenitionibus, nempe, Axiomatis atque Postulatis demonstrare, quomodo Natura consideranda sit: ac postea ostendere, quemadmodum Author noster Librum suum, maximam partem, etiam eo fundamento, attamen implicite, imposuisse videatur.

POSTULATUM.

PEtitur, ut Lector hac in Disceptatione, seu circa hanc Demonstrationem, sibi semper ob oculos ponat, ac memoria bene retineat, hic tantum supponi, & non ut verum concedi, Naturam esse Deum; ne in perceptionibus suis, respectu subsequentis demonstrationis, super hoc suppositum unice procedentis, confundatur ac turbetur.

DEFINITIONES.

I. PEr vocem *Naturæ*, ex supposito quod ea sit Deus, hic loci intelligitur Essentia per se infinita & respectu suorum attri-

butorum infinita, & cujus exiſtentia de ejus eſt eſſentia, è qua non ſolum omnes rerum eſſentiæ, ſed etiam exiſtentiæ omnium rerum poſſibilium profluunt ſive emanant.

Natura, quatenus eam hic definimus, diſtinguitur ab omni exiſtentia rerum poſſibilium, quæ exiſtentiam ſuam, per naturationem Naturæ accepere: Similiter illa etiam diſtinguitur ab omnibus eſſentiis rerum, quæ tanquam modi eſſentiæ Attributorum Naturæ conſiderantur. Quin imo Vocem Naturæ hic non definimus, quatenus ejus Attributa diverſæ ſunt eßentiæ: ſed tantummodo per eam intelligimus illud Principium, in quo omnes differentes Proprietates ſeu Attributa ſolum unam ſimplicem ponunt eßentiam: ſive in quo omnia ad unum rediguntur; & cujus exiſtentia de ejus eſt eßentia, ſive quod ex propria ſua eßentia neceßariæ eſt exiſtentiæ. Intelligimus, inquam, *ſolum eßentiam Naturæ, quatenus jam eam ab omnibus ſeparavimus, quamvis tamen ab omnibus ſeparata non ſit, quia noſter Philoſophus illud Ens, quatenus id jam definimus, propterea quod naturali ejus oppoſitione* Nihilo *opponitur, ſive quia nihilum abſolute de eò denegatur, tanquam Ens ſumme perfectum, conſiderat, atque idcirco Deum vocat.*

Hæc autem Definitio à nobis ſic formatur, propter præcedentem noſtram Deductionem, in qua, juxta Deſcriptiones, quas noſter Philoſophus propoſuit de Dei natura, nec non quo pacto res naturales, earumque determinationes ex Dei natura emanant, demonſtravimus, Ipſum Naturam, *tanquam Deum, conſiderare: Cum enim* Naturam *pro Deo agnoſcat, & nihilominus naturam Dei, &* leges Naturæ, *ut & quod ſecundum eas leges in natura contingit, nec non eſſentiam ſive naturam Trianguli, &c. à ſe invicem diſtinguat, ſequitur, ſi* Naturam, *tanquam Deum, prout id Authoris requirunt diſtinctiones, definire velimus, illam præcedenti modo ſeparandam eſſe ab illa exiſtentiarum eſſentiarum multiplicitate, quemadmodum jam fecimus: quia* Natura *tanquam Deus conſiderata, ab illis eſſentiis exiſtentiiſque non conſtituitur, tametſi ab iis ſeparata non ſit.*

II. Per vocem *Machinæ* ſignificatur Ens, quod ſolummodo ex ſuæ naturæ ſeu eſſentiæ neceſſitate, per cauſarum concatenationem, operatur.

III. Per vocem *Modificationis* intelligitur determinatio aliqua in-

in abſoluta quadam eſſentia, profluens ex natura ſeu eſſentia Entis abſoluti: vel intelligitur eſſentia aliqua, quæ non eſt abſoluta, ſed ſolummodo determinationem quandam in abſoluta aliqua eſſentia conſtituit: Ex: gr: Natura vel eſſentia Trianguli eſt Modificatio ſeu determinatio eſſentiæ Extenſionis.

AXIOMATA.

I. QUod pertinet ad Eſſentiæ alicujus conſtitutionem, id ipſum ab ea eſſentia diſtingui nequit.

II. Operationes alicujus Entis, quæ ex ipſius eſſentia emanant vel profluunt, ab illius eſſentia ſeparari non poſſunt.

Quia in noſtra Deductione, in qua oſtendimus, noſtrum Philoſophum ſtatuere, Naturam *eſſe* Deum, *demonſtratum atque probatum eſt, Operationes, quæ ex aliqua eſſentia, quatenus exiſtit, emanant, ab illa eſſentia ſeparatas non eſſe, idcirco hoc à nobis hic, tanquam Axioma, ponitur.*

PROPOSITIO. I.

Eſſentia Attributorum Naturæ ab eſſentia Naturæ non eſt diſtincta.

DEMONSTRATIO.

QUia (per Definit. 1.) omnes differentes Naturæ Proprietates, ſeu Attributa, in ejus eſſentia ad unum rediguntur; ac idcirco omnes eſſentiæ Attributorum Naturæ pertinent ad conſtitutionem eſſentiæ Naturæ; & quia eo pertinent, ideo eſſentiæ Attributorum Naturæ (per Axioma 1.) ab eſſentia Naturæ non ſunt diſtinctæ, q. e. demonſt.

PROPOSITIO II.

Eſſentia Attributorum Naturæ eſt neceſſariæ exiſtentiæ.

DEMONSTRATIO.

QUoniam (per Propoſit. 1.) eſſentia Attributorum Naturæ ab eſſentia Naturæ diſtincta non eſt, utpote quæ ad iſtius eſſentiæ conſtitutionem pertinet; & quia (per Definit. 1.) exiſten-

tia Naturæ de ejus essentia est, sive quia ejus essentia necessariæ existentiæ est; idcirco etiam essentia Attributorum Naturæ est necessariæ existentiæ. quod erat demonstrand.

PROPOSITIO. III.

Natura est Machina.

DEMONSTRATIO

HUjus propositionis veritas satis innotescit ex Descriptione, quam noster Philosophus CAP. IV. de Deo proposuit, ut quæ in eo consistit, quod affirmet, Deum non esse Dominum ac Principem suarum Actionum, sed solum ex suæ naturæ necessitate operari: quod aliud nihil est, quàm quod ex ejus natura omnes Rerum existentiæ per causarum concatenationem emanent ac determinentur: & hoc est (per definit. 11.) esse Machinam: Atque adeo, quoniam in hac Demonstratione Natura pro Deo agnoscitur, idcirco Natura est Machina. Verum quamvis hoc satis perspicuum sit, volumus tamen præterea ex aliquibus locis ostendere Philosophum nostrum Naturam eò pacto operantem, & per concatenatas causas omnia determinantem considerare, ut veritas nostræ Propositionis tanto magis manifesta fiat.

Pagina 68. nostrum Philosophum hunc in modum Differentem legimus. *Ostendam.* 1. *Nihil contra naturam contingere, sed ipsam æternum fixum & immutabilem ordinem servare.* Et paulum inferius. *Ex aliquot Scripturæ exemplis ostendam, ipsam Scripturam per Dei decreta & volitiones, & consequenter providentiam nihil aliud intelligere, quam ipsum Naturæ ordinem, qui ex ejus æternis legibus necessario sequitur.* Pagina 69. hæc sequentia habentur. *Nihil igitur in natura contingit, quod ipsius legibus universalibus repugnet; at nec etiam aliquid, quod cum iisdem non convenit, aut ex iisdem non sequitur: Nam quicquid fit, per Dei voluntatem & æternum decretum fit, hoc est, ut jam ostendimus, quicquid fit, id secundum leges & regulas, quæ æternam necessitatem & veritatem involvunt fit.*

In quibus locis, ut ego quidem sentio, clarissime perspicitur, Authorem nostrum Naturam in universum non aliter considera-

minantur per talem concatenatam operationem ex Principio Necessitatis emanantem; Et ne quis existimet, ab Authore quid excipi, respectu humani intellectus, utpote qui ex natura sua in operando per concatenationem causarum vel operationis Naturæ non videtur esse determinatus, præter prædictas adhuc unum alterumve locum expendamus, & de veritate antedictorum nulli dubitare poterimus.

Pagina 44. verba ejus in sequentem sonant modum. *Quamvis absolute concedam, omnia ex legibus universalibus Naturæ determinari ad existendum & operandum certa & determinata ratione, dico tamen, &c.* & paucis lineis interpositis; *Illa universalis consideratio de fato & concatenatione causarum minime nobis inservire potest, &c.* In quibus locis sermo ipsi est de particularibus hominum actionibus, quas ut possibiles, à nobis considerandas esse statuit, quamvis eæ per concatenationem causarum determinentur secundum æternas Naturæ leges. Atque hoc præterea manifestissime videri potest sub initium CAP. XVI. ubi pagina 175. his verbis exorditur. *Per jus & institutum Naturæ nihil aliud intelligo, quam regulas naturæ uniuscujusque individui, secundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo existendum & operandum.* Et paulo inferius, postquam de illa determinatione, ac de hoc jure fusius locutus fuisset, hæc subnectit. *Nec hic ullam agnoscimus differentiam inter homines & reliqua naturæ individua, neque inter homines ratione præditos & alios, qui veram rationem ignorant, neque inter fatuos, delirantes & sanos. Quicquid enim unaquæque res ex legibus suæ naturæ agit, id summo jure agit, nimirum quia agit, prout ex natura determinata est, nec aliud potest.*

Ex his igitur locis tam clare, ut sufficiat, videre est, nostrum Philosophum, omnia, quæ naturæ ambitu continentur, determinata considerare atque statuere, eumque concipere illam determinationem ex naturalium causarum concatenatione profluere, quod etiam formalis est ratio ob quam Natura, tanquam Machina, considerari debeat: nam determinatio, quæ ex continuo concursu Dei, vel Entis extra Naturam existentis, de qua alii loquuntur, proflueret, apprime distinguenda est à determinatione

quæ

quæ ex concatenatis Naturæ causis, secundum æternas ejus leges, ortum ducit: Posterior enim Naturam facit Machinam, quod priori non fit: & propterea Naturam esse Machinam à nobis luculenter demonstratum est.

PROPOSITIO. IV.

Naturæ Attributa, quatenus operantur, secundum perfectionem suæ essentiæ operantur: vel operatio Attributorum adæquate respondet perfectioni essentiæ eorum.

SCOLIUM.

Occasione vocabolorum, *Attributa operari secundum perfectionem suæ essentiæ*, quæ in hac Propositione occurrunt, aliqua posset oriri confusio; quæ, ut distincte progredi possimus, prius amovenda est: Nam, quia consueti sumus Enti, quod summe perfectum vocamus, infinitatem attribuere; & quia noster Philosophus vocem infiniti similiter Naturæ, tanquam Enti summe perfecto, adscribit, idcirco contradictorium videtur loqui de *Naturæ Attributorum operatione secundum perfectionem suæ essentiæ;* quia *infinitum*, *& operari secundum perfectionem suæ essentiæ*, absolute inter se pugnant eò sensu, quo voce *infiniti* uti solemus; unde etiam necesse est, ut res hæc bene distinguatur; & simul explicetur, quomodo hæc Propositio sit intelligenda.

Voce *Infiniti*, prout opponitur *Finito*, respectu augmentationis uti consuevimus; unde illud Ens infinitum dicimus, cujus quantitatem, neque numero neque ulla alia augmentatione attingere possumus; & econtra illud finitum, cujus quantitatem augmentatione attingere queamus. Exempli gratia, nulla potentia adeò magna concipi potest, quin major concipi possit: Quam magnam enim potentiam aliquam concipiamus, & quam multum eam etiam augeamus, semper tamen finita manet, unde hoc sensu infinitam potentiam consideramus, omnes apprehensiones atque conceptus superare; quoniam finita potentia, quam magna etiam concipiatur, semper adhuc infinite minor est, quam potentia infinita: Ac idcirco quoniam hoc sensu solemus vocem

infiniti potentiæ, ſapientiæ, nec non durationi &c. Entis ſumme perfecti adſcribere, utpote conſiderando ſummam perfectionem in tali infinitate ex parte ſitam eſſe, verba hæc *Attributa operari ſecundum perfectionem ſuæ eſſentiæ*, quæ in Propoſitione occurrunt, abſolute pugnant cum infinitate hoc ſenſu acceptâ: Infinita enim Attributa, hoc ſenſu, nullo modo *ſecundum perfectionem ſuæ eſſentiæ* hoc eſt, infinitatem, *operari* poſſunt: quoniam operatio ſemper determinata eſt: Atque adeò vox *Infiniti* à noſtro Philoſopho alio ſenſu accipi debet, quando ea Enti ſumme perfecto, de quo loquitur, ab ipſo attribuitur, ſi Propoſitio noſtra alicujus momenti futura,. & propoſito noſtro conductura ſit.

Ut igitur oſtendamus quo ſenſu voce *infiniti* Philoſophus noſter utatur, deducendum id eſſe videtur ex remotione infinitatis, reſpectu augmentationis, de qua locuti ſumus: & in qua nulla perfectio conſiderari poteſt, nam quia vi iſtius remotionis ſequitur, quod reſpectu hujus infinitatis, quo ſenſu à Philoſopho noſtro uſurpatur, nec multitudo, nec paucitas, nec quantitas, nec majus, nec minus, nec prius, nec poſterius, conſiderari poteſt; utpote quæ omnibus hiſce viis comparari nequeat, quoniam omnes augmentationes, ſive augmentata quælibet, à majori determinantur: idcircò ab altera parte ſequitur, illud ſolum ab eo infinitum vocari, quod, vi hujus remotionis, ut oppoſitum præcedentis ſuccedit; atque hoc ipſum eſt Ens quod à majori ente non determinatur, ſed quod determinationem ſuam, quia ex neceſſitate ſuæ naturæ operatur, ex ſui ipſius eſſentia, ſive per eſſentiam ſuam, accipit.

Vocem hanc infiniti eò modo à Philoſopho noſtro uſurpari, omnino liquet, tam ex ipſius notis metaphiſicis Cogitatis, quam ex natura rei, & Theſios ſuæ, quocirca igitur verba propoſitionis noſtræ, nimirum, *Attributa operari ſecundum perfectionem eſſentiæ ſuæ, hoc eſt, ſecundum infinitatem ſuam*, quam rectiſſime ad rem reſpondent; quoniam formalis ratio infinitatis eſt, quod Ens cui infinitas adſcribitur, à majori ente non determinatur, ſed quod determinationem ſuam, quia ex neceſſita te ſuæ naturæ operatur, ex perfectione propriæ eſſentiæ accipit.

DEMONSTRATIO.

QUia (per Proposit. 2.) essentia Attributorum Naturæ necessariæ est existentiæ; & quia (per Propos. 3.) Natura est Machina, quæ ex necessitate suæ essentiæ operatur, vel quæ per suam essentiam necessario operatur: ideò Attributa Naturæ, quia ex sua essentia operantur, semper necessario operantur; ob quam rationem igitur (per Axioma 2.) Attributorum operationes, utpote quæ ex eorum essentia emanant, ab existentia Attributorum non sunt separatæ: Atque hoc nihil aliud est, quam quod Attributa Naturæ semper secundum perfectionem suæ essentiæ operantur, quatenus nempe eorum essentia operatur; vel quod eorum operatio semper adæquate respondet perfectioni essentiæ eorum, quatenus operatur: & hoc erat demonstrandum.

PROPOSITIO. V.

Omnes Possibiles Modificationes Attributorum Naturæ sunt necessariæ existentiæ.

SCOLIUM.

HIc considerandum est, atque accurate distinguendum, quomodo propositio hæc præcedenti connectenda sit; nam quia hic transgressus ab infinito ad finitum fit, facile confusio quædam inde oriri posset, quia proprie nullus datur processus à finito ad infinitum neque ab infinito ad finitum: quamobrem & transitio hæc jure formari non posse videtur: Ut igitur ratio, quod legitime fiat hæc transitio, recte percipi queat, considerandum venit, locis refutati Tractatus demonstratum esse, Naturam esse machinam; quæ ex necessitate essentiæ suæ, aut per suam essentiam, necessario operatur: ex quo igitur sequitur, omnes operationes & determinationes, quæ in rerum natura existunt, ex ea emanare essentia; nam extra emanationem hanc nullum principium determinationum concipi potest; utpote quod repugnet necessariȩ Entis infiniti existentiæ: ex quo liquidum est, omnes differentes modificationes, quæ in rerum natura extant, vi istius emanationis, respectu Entis summe perfecti, pro simpli-

ce infinito modo, at respectu ad se invicem, plurifarie, aut in quamplurimis determinatis modificationibus, debere considerari: quocirca igitur per consequens, loquendo de simplici infinito modo, respectu Entis summe perfecti, & loquendo de quamplurimis determinatis modificationibus, sive modis respectu ad se invicem, de una eademque re locutum fuisse certum est: atque hęc vera est ratio propter quam hęc transgressio legitime facta sit; quia omne id quod de omnibus modificationibus simul consideratis, affirmari potest & debet, id ipsum etiam de simplici infinito modo affirmari possit & debeat.

Ob hanc rationem, ad omnem amovendam confusionem, hic etiam notandum est; verba hæc *necessaria existentia*, quæ omnibus possibilibus Modificationibus adscribuntur, non esse accipienda, ac si iis significare vellemus, Modificationes necessariæ existentiæ esse, quatenus eæ, per concatenationem causarum, ex principio necessitatis, aliquando emanarent. Nequaquam. Ejus modi enim necessaria existentia Modificationum necessario requireret, in rerum natura talem naturalium causarum processum esse, per quem uno tempore aliæ causæ & modificationes existerent, quam alio: atque sic per singulares mutationes procederetur in infinitum: unde porrò sequeretur, in rerum natura Ens summe perfectum non posse existere; quod absolute pugnat cum supposito hujus Demonstrationis, vel cum sententia nostri Philosophi: & hac de causa ista verba intelligenda sunt, tanquam significantia, omnes possibiles Modificationes semper existere; & concatenationem causarum ex principio naturę tanquam ex Machina emanantem, de qua loquimur, non progredientem, sed circularem processum constituere: Exempli gratia, quando necessarium motum, & quidem in progressione, consideramus, nunquam potest ille motus, tanquam perfectus motus considerari, quia semper progreditur ab uno ad aliud, & nunquam perfectionem attingit: Sed si motum circularem nobis proponamus, is semper perfectus est, utpote qui semper uniformis ac idem sit. Eodem plane modo processus circularis, in Machina Naturę, respectu procedentis concatenationis modificationum, considerari

debet, qui ſemper idem ſit: atque hoc eſt, quod hic loci per verba *Naturæ Modificationes neceſſariæ eſſe exiſtentiæ*, ſignificare voluimus; nempe omnes poſſibiles Modificationes ſemper in rerum natura exiſtere: Attamen hoc non ſic intelligi debet, ac ſi demonſtrare intenderemus, unam eandemque Modificationem ſemper neceſſarię eſſe exiſtentię: Exempli gratia, Modificationem, quę hominem aliquem conſtituit, neceſſario ſemper eandem fore, hoc eſt, unum eundemque hominem ſemper neceſſario unum eundemque in æternum uſque fore atque manſiturum eſſe: Nequaquam. Sed hoc tantum volumus, uno in loco Modificationem aliquam non interire, quin alio illa eodem momento rurſus exoriatur: ita ut eo ſolum reſpectu dicamus, omnes poſſibiles modificationes neceſſariæ eſſe exiſtentiæ.

Fortaſſe objicietur, non poſſe circa Ens infinitum neque tempus neque durationem conſiderari; & propterea omnes modificationes in proceſſu non circulari ſed progrediente, in quo uno tempore aliæ cauſæ & modificationes exiſterent, quam alio, debere accipi & hanc ob rationem omnes modificationes, toto ſuo progreſſu, quaſi ſimplicem modum Entis infiniti debere conſiderari; atque proinde propoſitionem hanc, ſi ſecundum præcedentem intelligatur explanationem, omnino extra rhombum eſſe: ad quod reſpondeo, ſi eò modo modificationes conjungantur, aut ſimul in conſiderationem veniant, tum denique ſimplicem illum infinitum modum Entis ſumme perfecti in rerum natura non poſſe exiſtere ſive extare, quia omnes illæ modificationes, quæ ad modum illum conſtituendum pertinent, vi ſui progreſſus in infinitum nunquam in rerum natura exiſtere ſive extare queunt; quod igitur præcedentibus abſolute repugnat demonſtrationibus: quocirca modi iſtius infinitas, vi ſuæ neceſſariæ exiſtentiæ, requirit, omnes modificationes in circulari proceſſu debere conſiderari, utpote quia talis conſideratio proprie præ ſe ferat, quod omne tempus ac duratio, circa omnes modificationes, quæ in circulari eò proceſſu extant, ſi tanquam unicus modus conſiderantur, applicari non poſſint. Et propterea, quia Ens ſumme perfectum ſive infinitum neceſſariæ eſt exiſtentiæ, & ex eo ille infinitus modus qui

ex

ex ejus essentia emanat, etiam necessario existit, necessario sequitur omnes modificationes non alio modo, quam in circulari processu considerari posse.

DEMONSTRATIO.

QUia possibiles Modificationes (per Definit. 1.) quatenus existentes essentiæ sunt, ex essentia Naturæ per ejus naturationem, hoc est, per Attributorum operationem, de qua locuti fuimus emanant, & quia (per Propositi. 4.) Attributa Naturæ secundum perfectionem suæ naturæ operantur, hoc est naturant, idcirco etiam verum est, omnes possibiles Modificationes esse necessariæ existentiæ: Et hoc denique demonstrare intendebamus.

ALITER.

SI negetur, ex ea negatione sequetur, operationem sive naturationem, per quam aliqua Modificatio, tanquam per proximam suam causam, suam existentiam accipit, in rerum natura non existere; si enim ea existeret, etiam illa Modificatio existeret. Quoniam igitur inde sequitur, eam operationem, vel naturationem in rerum natura non existere, sequitur etiam Attributum Naturæ, ex cujus essentia illa operatio emanat, secundum perfectionem suæ essentiæ non operari: quod absolute pugnat cum 3 & 4 Propositione, in quibus demonstravimus, Naturam, tanquam Machinam ex necessitate suæ essentiæ operari; ac propterea Attributa Naturæ, quatenus operantur, semper secundum perfectionem suæ naturæ operari: Atque adeò, quoniam illę Propositiones ex nostro supposito, irrefragabilis veritatis sunt, etiam verum est, omnes possibiles Modificationes semper existere: atque hoc demonstrare nostrum fuit intentum.

Postquam igitur huc usque intellexerimus, quomodo nobis Naturam, tam respectu suę existentię, & essentię suorum non modificationum, sive absolutorum Attributorum, quam respectu essentię Modificationum eorum; ut & respectu existentię omnium istarum essentiarum simul, ob oculos ponere vel quomodo eam concipere debeamus; nunc pręterea investigare atque ostendere animus est, quo pacto illa Attributa, eorumque Modificationes ulterius nobis consideranda sint.

Attamen neque possumus neque etiam intendimus de omnibus Naturę Attributis & Modificationibus sermonem habere, cum plurima nobis incognita sint: sed solummodo de Extensione & Cogitatione, utpote notis; pręcipue verò de Cogitatione ostendere, quomodo illud Attributum ejusque Modificationes considerari debeant.

Quoniam autem in Extensione nulla Cogitatio, nec in Cogitatione Extensio animadvertitur; idcirco perspicuum atque manifestum est, Extensionem atque Cogitationem duo singularia, in natura & essentia à se invicem discrepantia, Attributa Naturæ esse; Unde etiam eorum Modificationes in natura & essentia à se invicem differunt, quemadmodum etiam illa procul omni dubio à nostro Philosopho eò modo considerantur.

Ex eò igitur quod Deus ex necessitate suæ naturæ operatur, sive quod Natura sit Machina considerare volebamus, quod omnes illæ Denominationes, ut *volendi*, *affirmandi*, *& negandi*, proprie Cogitationi attribui nequeunt, cum omnes istæ Denominationes sint nomina Actionum, quæ in rerum natura nullius sunt existentiæ. Ita ut Cogitationi nihil attribui possit præter Ideas, utpote quæ sunt Modificationes vel determinationes essentiæ non modificatæ Cogitationis. Attamen vox *Idea* hic non consideranda est tanquam determinatio, quæ ab aliqua essentia concepta, aut formata est; Nequaquam. Si enim Ens concipiens, & conceptus, sive ideæ, tanquam duæ à se invicem separatæ essentiæ considerentur, erunt conceptus sive ideæ effecta, & conceptio actio, quæ ambo jam ante intelleximus, in rerum natura nequaquam existere: Atque adeo Ideæ considerandæ sunt, tanquam determinationes non Modificatæ Cogitationis: Exempli gratia, quemadmodum superficies Globi terrestris modificata est per omnes illas figuras, quibus ille in totum determinatus est, ita etiam non modificata Cogitatio considerari debet determinata esse per omnes possibiles Ideas, quæ ex ejus essentia emanant: ita ut Ideæ Attributum Cogitationis modificent & determinent eodem modo, quo figura superficiem Globi: & sic ideæ constituunt illum simplicem infinitum modum cogitationis: Ita ut breviter Cogita-

gitatio considerari debeat esse vel consistere in simplici visione, cujus essentia, quatenus visio est, tanquam non modificatum Attributum, & ideæ tanquam determinationes in illa visione considerari debent. Nam quia visio nulli modificationi vel determinationi subjecta est, nisi tantum per ideas; & quia ideæ non possunt esse modificationes sive determinationes, quam visionis; & quia etiam visio ex sua natura non videtur posse existere, nisi aliquæ ideæ ex essentia visionis emanent; ideo cogitatio, tanquam simplex visio, quæ per ideas determinatur, consideranda est.

Postquam itaque demonstraverimus, ac etiam ostenderimus, qualem de natura, si Deus sit, conceptum formare atque nobis exhibere debeamus; nec non ex locis ex Tractatu, quem refellimus, adductis ob oculos posuerimus convenientiam Sententiæ Nostri Philosophi cum demonstratis: jam nos conferre volumus ad considerationem aliquorum, quæ præter allata, respectu istius Tractatus, proprius ad rem faciunt, ut adhuc clarius ejus naturam constitutionemque perspicere atque intelligere queamus.

Primum quod notabimus, omnes illas Dissertationes, quas Philosophus noster ex Authoritate S. Scripturæ instituit, concernet.

Secundo inquiremus, num in hoc Tractatu sufficientia argumenta, ad adstruendum, Deum esse Naturam, vel ejusmodi universalem rerum naturalium determinationem, reperiantur.

Atque hæc persequi, antequam nos ad probandum, Naturam esse effectum, accingamus, consultum duximus, partim quia disputatio nostra recidit ad altius principium, quam id de quo prius vestigiis nostri Authoris insistentes, egimus: partim ut quilibet Refutationem memorati Tractatus in omnibus singulisque ejus partibus clare atque distincte perciperet, sibique simul contrariam veritatẽ extra omnem dubitationis aleam esse positã persuaderet.

Quantum ad Dissertationes attinet, quæ à nostro Philosopho S. Scripturæ authoritati impositæ sunt, jam antea intelleximus, illas duntaxat inservire ad probandum, Theologiam à Philosohia separandam esse, quoniam peculiaria sunt regna, & secundum rei naturam Philosophia, tanquam regnum veritatis, ac Theologia,

gia, tanquam regnum pietatis ac devotionis, in quo nulla veritatis ratio habeatur, conſiderari debeat. Atque hunc in finem oſtendere conatus fuit noſter Philoſophus, omnia, quæ in libris tam Veteris quam Novi Teſtamenti continentur, ad captum, ad ingenia, præconceptasque hominum opiniones accommodata eſſe, ut, tanquam equus freno ad pacem ſalutemque Reipublicæ ducerentur. In his diſſertationibus Prophetas Veteris Teſtamenti, ac Chriſtum, ejusque Apoſtolos, a ſe invicem diſtinxit, ſtatuens, *Revelationes Veteris Teſtamenti captui, & opinionibus Prophetarum accommodatas eſſe; ſed Chriſtum ipſum Dei vocem atque os fuiſſe, eumque de mente ad mentum cum Deo communicaviſſe; atque hoc reſpectu ſe ſermonesque ſuos ad captum, ad ingenia, præconceptasque ſuorum Auditorum opiniones accommodaviſſe.*

Qui tantum temporis ſibi ſumere volet, ut harum Diſſertationum naturam conferat, cum fundamento, nempe quod Natura ſit Deus, & quod diverſitates, quæ in ea reperiuntur, Divinæ eſſentiæ tanquam Modificationes, quæ ex ejus neceſſitate emanant, & quæ omnes tanquam in Machina quadam concatenatione cauſarum determinantur. conſiderari debeant; is clare intelligere poterit, omnia hæc à noſtro Philoſopho excogitata eſſe, ad Chriſtianos ſeducendos atque perturbandos permixtione atque complexione multarum rerum, quæ ſibi nequaquam conſtant. Quis enim unquam majorem diſſenſionem audivit aut vidit, quam hanc, nempe quod ſtatuatur, omnia naturalium cauſarum concatenatione, ſecundum æternas Naturæ leges, tanquam per Machinæ cujuſdam operationem determinari, & quod ſimul ſermo habeatur de Revelationibus, de accommodatione ad captus præconceptasque hominum opiniones, de voce atque ore Dei, & de communicatione cum Deo de mente ad mentem, &c. Cum hæc omnia non niſi unum idemque ſint, nec aliter quam perverſæ denominationes conſiderari queant. Nam, quæſo, paulum diſtinctius hæc expendamus. Quidnam ſecundum hoc fundamentum, eſt Dei intellectus? quænam ſunt ejus volitiones & decreta?. Sane nihil aliud præter naturalis cauſarum concatenationis determinationes, ex ſuo neceſſitatum principio reſultantes. Quidnam dehinc

hinc eſt eſſe Dei vocem atque os, & communicare cum Deo de mente ad mentem? Profectò nihil aliud præter quam naturæ, vel cauſarum concatenationis determinationem in ſe habere, & ejus virtute, tanquam alicujus Machinæ rotulam, ſecundum ejus æternas leges, moveri: Nihil enim aliud in natura reperitur, quam illæ ab ejus eſſentia inſeparabiles determinationes. Qua igitur de cauſa Chriſtus magis vox atque os Dei eſt? cur magis de mente ad mentem cum Deo communicavit, quam omnes alii Prophetæ, nec non omnes alii homines, *tam qui ex præſcripto ſanæ rationis, quam qui ſecundum appetitus ſuos vivunt, tam fatui atque delirantes quam ſani? Nam inter hos omnes* inquit noſter Philoſophus pag. 175. *nullam in ſtatu naturali agnoſco differentiam.* In quibus prædicto fundamento conſentanea loquitur: Ratio enim clara atque in-promptu eſt. Omnes à natura ſuas determinationes accepere, ergo omnes à natura ſuas determinationes, per concatenationem cauſarum ſecundum æternas principii Neceſſitatis leges, accepere: cur igitur unus magis Dei vox atque os eſt, quam cæteri? cur unus magis de mente ad mentem cum Deo communicat, quam cæteri? Hæc profectò minime quadrant. Sane ridiculum eſt, ejusmodi jacto fundamento talia proferre atque diſſere, imo vero, ſi res penitius inſpiciatur, luce meridiana clarius atque evidentius conſequitur, de ipſo Chriſto, aut ullo alio homine, non magis affirmari poſſe, eos vocem atque os Dei eſſe, ac de mente ad mentem cum Deo communicaviſſe, quam, de aqua, de terra, de lapidibus, aut ullo alio Naturæ individuo: Omnia enim ſuam determinationem per concatenationem cauſarum, ex principio neceſſitatis, accepere; & conſequenter unum non magis à Dei intellectu, ejusque volitionibus ac decretis diſtat, quam aliud; quoniam in Naturæ determinationibus, Dei intellectus, Dei voluntas & Dei poteſtas conſiſtit; vel quia prædictæ determinationes Dei intellectum ejusque voluntatem, atque potentiam conſtituunt: ex quibus porrò ſequitur de uno nihil aliud, quam de altero, hoc reſpectu affirmari poſſe.

His jam non difficili negotio prævideo mihi oppoſitum iri, homines intellectu eſſe præditos, eoque omnia alia Naturæ indivi-

dua esse destituta; nec non unum hominem aliis intellectu præstare: unde etiam de hominibus in universum si cum cæteris naturæ individuis comparentur, & de iis hominibus in specie, qui præ cæteris intelligentia excellunt, dici potest, quod de mente ad mentem cum Deo communicent, utpote qui præstantiorem cæteris à natura accepere determinationem, quę in intelligentia atque cogitationibus, in perpensionibus atque raticinationibus, nec non in libera Voluntatis prælectione, posita est.

His autem ut respondeamus primo ad omnem obscuritatem pręcavendam dicimus, nos hic loci non disputare de denominationibus, quę diversis individuis diversimode attribui possent, sed duntaxat de natura ipsarum rerum; atque eò respectu existimamus, posito pręditco fundamento, nullam differentiam posse concipi hominum inter se, nec non inter homines in universum spectatos & alia naturę individua; sed absolute dicendum esse, omnia alia Naturę individua intelligentiam, cogitationes, persensiones, ac ratiocinationes; imo liberam Voluntais pręelectionem æque habere, ac ipsos homines, imo etiam æque ac eos qui cæteris intellectu prævalent, quique vox atque os Dei vocari possent. Etenim, ut hæc manifesta fiant, accurate perpendamus, quid machina sit, & cujusmodi sint determinationes, quæ ex concatenatione causarum illius, secundum æternas leges, ex principio Necessitatis profluunt, & illico deprehendemus id, quod dico, verissimum esse; Nam inter mille rotas, inter se concatenatas, & quæ ab unico principio moventur, nulla potest respectu suarum determinationum concipi differentia, quoniam omnes per unicum principium, & uno eodemque modo inter se moventur; quapropter etiam de omnibus unum idemque affirmari & potest & debet.

Neque etiam aliter cum totius naturæ Machina comparatum atque constitutum est, quamvis, ex præcedenti fundamento in ea infinita genera, aut infinitos peculiares ramos, qui etiam omnes peculiari modo essent determinati, concipere liceat atque considerare. Nam quoniam ipsum universale principium determinationum, ex necessitate suæ naturæ, determinatum est, &

nequaquam ex prælectione omnes determinationes existere faciat; sed quia omnes determinationes ex eò profluunt: etiam de uno genere, vel de uno ramo, non aliud affirmare possumus quam de altero: Nam exempli gratia, si unicum aliquod pondus non tantum omnes alicujus Horologii rotas movet, & per concatenationem rotarum, omnes in suis motibus determinat, sed præterea etiam ligneum hominem facit incedere, loqui, &c. & sic determinat, per rotarum in illo homine concatenationem: Nec non vaccam, ex lingo vel alia materia fabrefactam, facit mugire, &c. utique de homine non majori jure affirmare licebit ipsum intellectum, cogitationes, ratiocinationes, ac liberum voluntatis arbitrium &c. habere, quam de Horologio aut de Vacca, quamvis homo incedat, loquatur, aquæ accedat, eam hauriat, se vertat, atque sic, ne in aquam incidat, cavere videatur, ignem fugiat, &c. Hæc omnia concipi possunt provenire ex diversitate concatenationis rotarum, quæ in homine plane alium in modum connectuntur atque concurrunt, quam in vacca, aut in horologio, ita ut operatio aut virtus ponderis, nec non determinatio in omnibus illis unæ eædemque sunt, quamvis rotæ in quolibet peculiari modo constitutæ sint. Et simili ratione existimandum est, homines non magis habere cogitationes, ratiocinationes, &c. quam cætera individua Naturæ; quandoquidem determinationes, ex vi principii & concatenationis causarū in omnibus unæ eædemque sint: de omnibus enim æqualiter dicendum illa per id principium determinata esse, & præter illam determinationem nihil habere. Quamvis igitur determinatio unius plane alio modo se habeat atque ostendat, quam alterius, eaque ratione motus, qui ex elegantiori, aptiori, admirabiliorique rotarum concatenatione oriuntur, cogitationes, perpersiones ratiocinationesque vulgo appellentur, attamen, si ex rei natura loquendum sit, illis rebus quibus tam mira tot rotarum concatenatio non occurrit, proprie cogitationes denegandæ non sunt, nisi in verbis ludere velimus.

Atque hoc etiam adhuc clarius percipi potest, quando consideramus secundum ea quæ à nobis antea de monstrata atque ostensa

ſa ſunt, Philoſophum noſtrum ſecundum ſuam ſententiam, nempe quod Natura ſit Deus, ſtatiturum, in rerum natura non niſi unicam atque ſimplicem ſubſtantiam reperiri, cujus nobis duæ Proprietates cognitæ ſunt, nempe Extenſionem atque Cogitationem, quia hæ duæ in natura & eſſentia à ſe invicem differunt, cum ſubſtantia, quatenus extenſa eſt, non cogitet, & contra, quatenus cogitat, extenſa non ſit; nam in cogitatione nulla percipitur extenſio, & in extenſione nulla cogitatio: Ac propterea, cum hæc Subſtantia nec à cogitatione nec ab extenſione diſtingui queat, ſequitur, ubicunque ſit Subſtantia, ibidem etiam & extenſionem & cogitationem eſſe; atque adeò quoque omnia naturæ individua & extenſa eſſe & cogitare: Ac propterea de homine non magis dici poſſe, quod cogitet, quam de aqua, aut ligno &c. Sed ſolummodo ipſum aliam Modificationem aut determinationem in cogitando, à natura ex æterna neceſſitate per ſic dictarum cauſarum concatenationem, accepiſſe, per quam tamen non minus determinatus eſt ad exiſtendum & operandum, certa & determinata ratione, quam reliqua naturæ individua. Ac proinde quoniam omnia naturæ individua cogitant, & in ſuis cogitationibus determinata ſunt ad exiſtendum & operandum, certa ac determinata ratione, ſequitur etiam unumquodque, ſecundum ſuam peculiarem modificationem & determinationem, vocem atque os Dei eſſe, & de mente ad mentem cum Deo communicare. Nam omnium Naturæ individuorum determinatæ cogitationes & extenſiones, Dei cogitationes & extenſiones ſunt, quæ ab æterno in natura divina continentur, & per æternam neceſſitatem ex ejus natura emanant; Ergo omnia Naturæ individua de mente ad mentem cum Deo communicant. Me autem, cum dico, Dei cogitationes in omnibus Individuorum Naturæ cogitationibus conſiſtere, nihil diverſum à Philoſophi noſtri ſententia loqui patet ex pag. 175. ubi hunc in modum diſſerit; *Naturæ potentia ipſa Dei potentia eſt qui ſummum jus ad omnia habet: ſed quia univerſalis potentia totius naturæ nihil eſt præter potentiam omnium individuorum ſimul, &c.* Quod tam cogitationi, quam potentiæ naturæ applicari poteſt.

At-

Atque hæc, quæ hoc loco annotavimus, ab unoquoque tanquam veritatem approbatum iri existimamus; imo ipsum nostrum Philosophum, si sincero est animo, palam confessurum, suos conceptus à nobis hac in parte recte expressos esse, atque declaratos nulli dubitamus: vel si in eò manus non dare, sed adhuc tergiversari velit, in antecessum rogo, ut disputatio inconcusso suffulta esse fundamento, ac firmo procedere talo possit, num quidem tertium quid in rerum natura, inter jam memoratam atque ventilatam determinationem, circa cogitationes humanas, secundum ante ostensum, per Ideas determinatas, & inter principium in homine, ex quo cogitationes, extra has determinationes, indeterminate formantur, hoc est principium quod per naturalium causarum concatenationem non est determinatum, concipi possit? Minime sane, quoniam duo hæc sibi mutuo contraria sunt, quæ se invicem nequaquam in eodum loco ferunt, sed tollunt. Veruntamen hic nullo modo quæstionem decidimus, quæ de ejusmodi determinatione agit, quæ per Dei vel Entis extra naturam concursum fieri dicitur; sed solummodo asserimus, ejusmodi principium in homine per naturalium causarum concatenationem determinatum non esse, idque hac in re sufficit. Quandoquidem igitur absolute necessarium est, horum alterutrum confiteri, nempe, vel ejusmodi esse determinationem, ex cujus vi hominibus non magis attribui posset, quod cogitent, quod perpendant, ratiocinentur, atque eligant, quam omnibus aliis naturæ individuis; vel in hominibus essentiam esse, quæ ex se ipsa, absque memorata determinatione, cogitationes, ratiocinationes, atque electiones formet: Dicimus, si, ut affirmationem prioris subterfugere possit, eò adduceretur Philosophus noster, ut posterius verum esse judicaret, nos nostra argumenta adversus ipsum parata habere, quibus statim demonstrare possumus, Naturam non esse Ens simplex, utpote quæ diversis realitatibus, & essentiis absolutis quæ natura atque essentia à se invicem differunt, constat; Eamque propterea necessario effectum esse debere Entis extra naturam existentis, quod ex sui arbitrii libertate, tanquam Dominus & Princeps suarum actionum, illam

creavit atque produxit. Ac proinde quoniam ab hac demonstratione totius Quæstionis decisio solum atque unice dependeat, summa cura sibi cavebit Philosophus noster ne fateatur, in homine ejusmodi ens contineri, nisi cum simul se hac in disputatione convictum ac confutatum esse fateri volet: Unde etiam plenè persuasi sumus atque certi, Philosophum nostrum contrarium pro veritate habere, atque adeò hac via porro progrediemur, ut nostras considerationes ob oculos ponamus.

Dicimus itaque, non nisi meras esse nugas ex tali fundamento loqui, *de voce atque ore Dei*, *de communicatione cum Deo de mente ad mentem*, atque hæc uni soli homini attribuere; cum omnibus Naturæ individuis denegari nequeant. Neque etiam minus futiles sunt sermones, qui habentunt *de accommodatione ad captus*, *præconceptasque vulgarium hominum opiniones*, quando asseritur atque statuitur, omnia ex & secundum æternas concatenatarum causarum leges determinata esse. Etenim *se accommodare ad captus &c.* nihil aliud est, quam se gerere prout fert occasio, & res ac objecta exigunt, quod nullum plane consortium aut communionem habet cum determinatione æternarum legum causarum concatenatarum, quemadmodum supra à nobis notatum atque monstratum est. Quod si quoque plenè persuasi non essemus, hunc Philosophum omnes Christianos ludificare atque deridere, profectò obtenebratus intricatusque ejus intellectus scripto exprimi non posset, cum eum sub initium Cap. IV. hunc in modum dissertantem audimus. *Quamvis absolute concedam, omnia ex legibus universalibus naturæ determinari ad existendum & operandum certa ac determinata ratione, dico tamen has leges ex placito hominum pendere*, & paulò inferius pergit ulterius. *Has leges ex placito hominum pendere etiam dixi, quia res per proximas suas causas definire, & explicare debemus, & illa universalis consideratio de fato, & concatenatione causarum, minime nobis inservire potest ad nostras cogitationes, circa res particulares formandas atque ordinandas. Adde, quod nos ipsam rerum coordinationem & concatenationem, hoc est, quomodo res revera ordinatæ & concatenatæ sint plane ignoremus, adeoque ad usum vitæ melius, imo necesse est res ut possibiles considerare.* Hæc, inquam loca Lectoribus

ribus nullam aliam præbent anſam quam maximam harum diſſertationum partem negligendi atque contemnendi, quoniam vel ad irriſionem, vel imprudenter conſcriptæ ſunt. Etenim *ſi ad uſum vitæ melius ſit, res ut poſſibiles conſiderare*, utique neceſſario ſequitur, ope hujus conſiderationis vitam emendari poſſe; alias enim non niſi ſtulta eſt ratio. Quod ſi vita emendari poteſt, quorſum igitur illa determinatio concatenatarum cauſarum ſecundum leges æternas, per quas homines, tanquam rotæ alicujus Machinæ, moventur? hæc enim ſimili in caſu locum habere nequit. Nam *quamvis non intelligimus, quomodo res revera ordinatæ & concatenatæ ſint*, hoc tamen nullius mutationis cauſa in iis exiſtit, quoniam ideo nec minus nec magis concatenatæ atque determinatæ ſunt: atque adeò quoniam firmum atque ratum eſt, eas concatenatas & *determinatas eſſe ad exiſtendum & operandum certa ac determinata ratione;* ſequitur quoque ad uſum vitæ melius eſſe non poſſe, res ut poſſibiles conſiderari, nec etiam ad uſum vitæ pejus, eas ut impoſſibiles conſiderari: omnia enim determinata ſunt, imo ipſæ etiam circa has res conſiderationes. Ita ut ex his omnibus plene intelligere ſit, quid de illis primis Capitibus, omnibusque illis Diſſertationibus, quæ S. Litteras, & peculiariter obedientiam atque Fidem concernunt, ſentiendum atque ſtatuendum ſit, nempe fruſtra atque nullius pretii eſſe, quia in ipſis omnes res ut poſſibiles conſiderantur, cum tales non ſint, quod ſanè omnino futile atque ridiculum eſt.

Jam igitur ſecundo tempus eſt inquirendi atque indagandi, num hoc in Tractatu ſufficientia argumenta ad adſtruendum, Naturam eſſe Deum, vel ejusmodi univerſalem eſſe determinationem, reperiantur, ne quispiam, quia non undiquaque circumſpexiſſemus, omniaque excuſſiſſemus, aliquam ſibi anſam ſumat cogitandi, nos non ad omnia, eò, quo decet, modo reſpondiſſe.

Maxime conſideratu dignum, quod, ut egò quidem ſentio, reperitur, quo quis adduceretur, ut crederet, rem hanc à noſtro Philoſopho probatam eſſe videri, eſt locus, qui CAP. VI. pag. 72. occurrit, ubi ejus rationes hunc in modum concinnatas legimus. *Quoniam Naturæ leges (ut jam oſtendimus) ad infinita ſe extendunt, &*

ſub

ſub quadam ſpecie æternitatis à nobis concipiuntur, & natura ſecundum eas certo atque immutabili ordine procedat, ipſæ nobis eatenus Dei infinitatem, æternitatem & immutabilitatem aliquo modo indicant.

Fatemur ſane, ſi verum eſt, Philoſophum noſtrum *oſtendiſſe naturæ leges ad infinita ſe extendere, & ſub quadam ſpecie æternitatis à nobis concipi*, quemadmodum hoc loco ſe oſtendiſſe audacter pronunciat, ipſum hac in controverſia multum profeciſſe ac longe progreſſum eſſe. Ratio eſt, quia abſolute impoſſibile eſt, creaturam infinitam eſſe poſſe, quoniam abſolute illimitatæ potentiæ Entis ſumme perfecti, extra naturam exiſtentis, nequaquam competit, aliquid, quod ad infinita ſe extendere poſſit, creare. At de his fuſius agere non eſt hujus loci. Pergimus itaque ad indagandum ubinam id, quod ab Authore noſtro allatum eſt oſtenditur, ut ejus vim ac robur expendamus ac examinemus.

Cum vero, quicquid à nobis jam allegatum locum in hoc Capite præcedit, eum in finem perlegimus, illum, pag. 68. his verbis diſſerentem reperimus. *Ut rem ordine edoceam, oſtendam.* 1. *Nihil contra naturam contingere, ſed ipſam æternum, fixum, & immutabilem ordinem ſervare.* Ex quo loco igitur colligimus, Probationem controverſiæ prædictæ hic tanquam fundamentum, ordine ſubſecuturam, quocirca ulterius ad eam attendentes pergimus.

Quicquid circa primum hoc à noſtro Philoſopho diſſertatur, accurate perpendentes, animadvertimus, illum hoc ex duobus fundamentis, ut ipſe exiſtimat, deducere, quorum unum innititur vel conſiſtit in iis, quæ Cap. iv. de Dei intellectu & Dei voluntate dixit, nempe, quod omnia, quæ Deus vult & intelligit, æternam veritatem aut neceſſitatem involvant.

Quoniam verò Autor hic primo ſua iis, quæ Cap. iv. diſſeruit, ſuperſtruat, & vis ac efficacia horum omnium iis innititur, etiam ſimpliciter Lectores noſtros relegamus ad ea, quæ à nobis eò loci de illo fundamento annotata fuere. Exiſtimamus enim ibi nos accurate atque efficaciter oſtendiſſe, noſtrum Philoſophum iſthoc in loco, totum hoc omnium ſuarum profanarum Theſium fundamentum temere duntaxat atque ſimpliciter dictitaſſe ſine ulla vel minima annexa probatione. Attamen hic ſolummodo notandum

dum venit, Philoſophum noſtrum hic confidenter atque audacter pronunciare, ſe hoc fundamentum Cap. iv. demonſtraſſe, unde manifeſtum evadit, illum Chriſtianos ludibrio habere. Probe enim, quid ſit demonſtrare, ipſi cognitum perſpectumque eſt, atque adeò etiam optime ſibi conſcius eſt, ſe hoc fundamentum eò loci nequaquam demonſtraſſe: niſi forte etiam pro demonſtratione habeat ſuam duntaxat ſententiam ſimpliciter exponere atque declarare; & tum ſe ipſum deridendum præbet.

Alterum fundamentum, quod in ſuæ Theſios probationem adducit, expreſſum legimus pagina 69. his verbis. *Idem etiam facile ex hoc poſſet oſtendi, quod nimirum potentia naturæ ſit ipſa divina potentia & virtus: divina autem potentia ſit ipſiſſima Dei eſſentia, ſed hoc impræſentiarum libentius omitto.* Ex his autem dictis ſequentia omnia recte atque legitime deduci, à nemine negabitur, quoniam Author hoc loco clare exprimit, Naturam eſſe Deum, quemadmodum jam ſuperius vidimus. Etenim ſi prænotata verba hunc ſenſum non haberent, quicquid iis ſubjungitur, nequaquam inde deduci poſſet. At profecto non ſufficit ſimpliciter aſſerere Naturam eſſe Deum, atque inde porrò deducere, illam ſe ad infinita extendere, & ſub quadam ſpecie æternitatis poſſe concipi: Nam hoc modo præpoſtere, ac plane contra naturalem ordinem proceditur, quia primo demonſtraſſe oportuit, Naturam ſe ad infinita extendere, atque hinc deinde deducendum atque concludendum fuerat, Naturam eſſe Deum. Etenim undenam cognitionem haurimus quod Natura ſit Deus, niſi etiam ex eò quod Natura ſe ad infinita extendat, ſive quod natura omnia, quæ nihilo oppoſita ſunt, in ſe complectatur. Ac propterea, quoniam Philoſophus noſter ex eò quod naturam eſſe Deum dictaverit, deducat illam ſe ad infinita extendere, ſequitur etiam hæc omnia non niſi ſcopas eſſe diſſolutas, eaque jure tanquam invalida atque infirma contemni poſſe atque oportere.

Ut autem Diſputationem, quemadmodum id res exigit, perſequamur, tempus jam eſt, atque ordo noſter poſtulat, ut Philoſophicam illam Theſin (qua ſtatuitur, Naturam eſſe Deum, & omnia per concatenationem cauſarum determinari; ſive omnes

Naturæ differentias nihil aliud esse quam Modificationes Attributorum Naturæ, quemadmodum hæc omnia in superioribus ostendimus atque demonstravimus) destruamus atque evertamus, quo quisque contrariæ Veritatis plene persuasus esse queat.

Propositum itaque habemus, duobis modis hoc in negotio procedere: Primo ostendemus, Philosophicam hanc Thesin, respectu Tractatus quem refutamus, falsam esse, vel in eò, summam obscuritatem & talem confusionem deprehendi, qualem, si ita loqui liceat, in ullo Tractatu vix concipere queamus: vel potius ostendemus, Tractatum hunc se ipsum subvertere: Secundo autem, adhuc ulterius hanc Thesin, nempe Naturam esse Deum, ex ipsius rei natura, absque respectu ad hunc Tractatum, & quidem ex absurditatibus, quæ, meo judicio, ex eò sequuntur, convellere conabimur, ut ita causæ omni ex parte satisfaciamus: respectu autem hujus posterioris Dissertationis benevolum Lectorem solummodo admonitum esse volumus, ne eam cum hujus Tractatus Confutatione confundat ac permisceat, quam proprie & præcipue hoc Scripto intendimus: Nam si cui forsitan posterius hoc non satis firmum atque efficax judicetur, cum mihi absurdum videatur, quod Philosophus noster veritati consonum putabit; nihilominus existimandum est, Tractatum hunc plene confutatum atque enervatum esse, quoniam posterius hoc tanquam quid separatum à præcedentibus, considerari debet; quod solummodo adjungitur, ut res ex abundanti declaretur ac manifestior evadat: Qua præmissa ad Lectorem admonitione, ad rem ipsam jam transimus.

Ex præcedentibus, & quidem peculariter ex iis, quæ demonstravimus, facile animadvertere possumus, quid nobis agendum sit, ad ostendendum, Naturam non Deum, sed econtra effectum esse: Etenim in nostra Definitione, quam de Natura, juxta nostri Philosophi descriptiones, ex supposito, eam esse Deum, dedimus, inseruimus, eam esse Ens summe perfectum: & summam perfectionem requirere, quod sit Ens simplex; nec non omnes differentes essentias existentiasque, quæ in rerum natura reperiuntur, nihil aliud esse, quam Modificationes essentiæ ejus. Deinde ex hac Definitione per Axiomata demonstravimus

omnes possibiles Modificationes semper existere, vel necessariæ existentiæ esse. Atque ex his ostendimus, quod propter necessitatem, per quam illud Ens naturaliter operatur, statuendum sit, in Cogitatione non nisi Ideas existere. Ex quibus clare intelligimus, à nobis causæ satisfactum fore, si ostendere queamus, aut illam Ens simplex non esse, aut omnes possibiles differentes essentias non semper existere; Nam si horum prænotatorum aliquod à nobis ostendatur, illico sequetur, Naturam Ens summe perfectum, & consequenter necessariæ existentiæ non esse: Unde porrò per ulteriorem consequentiam illa, tanquam effectum, vel creatura Entis extra naturam existentis, consideranda erit.

Ut igitur primo ex ipso Authoris Tractatu demonstramus, jam memoratam Naturam non esse Ens absolute perfectum: sed propter ejus imperfectionem effectum, vel creaturam, hoc modo procedimus.

POSTULATA.

I. Consideret Lector, diversitatem, quæ est inter Definitionem vocis Naturæ, quæ hac in Demonstratione occurrit, & inter illam, quam in præcedenti attulimus, solummodo oriri ex eò, quod in præcedenti Demonstratione supposuimus, Naturam esse Deum, vel Ens summe perfectum: quod in hac non supponitur, quoniam intendimus ostendere, illam non esse Ens summe perfectum. Lector igitur hæc prænotata, ad omnem confusionem præcavendam, memoria retineat.

II. Recordetur etiam eorum, quæ in præcedenti Demonstratione monuimus ac diximus; nempe vocabulum *Infiniti* duobus modis Enti alicui attribui, vel quia Ens illud à nullo mojori ente determinatur, utpote ex cujus essentia ipsa omnes determinationes emanant, vel quia illius perfectio per augmentationem, aut multiplicationem, attingi nequit, utpote quod infinitum est, ratione magnitudinis suæ essentiæ & attributorum. Ratio, propter quam hæc memoria repetenda atque consideranda sint, est, quia summa perfectio in hac Demonstratione juxta diversam Vocis *Infiniti* significationem, etiam diversimode considerari atque definiri debet.

DEFINITIONES.

I. PEr Ens summe perfectum denotatur Ens, de quo *Nihilum* absolute denegatur, & quod à nullo majori ente determinatur, ac propterea per suam essentiam necessariæ est existentiæ: Vel per Ens summe perfectum intelligitur Ens, quod infinitum est, ut cujus magnitudo in essentia, & proprietatibus, seu attributis per augmentationem, attingi nequit, & quod propter istam infinitatem necessariæ est existentiæ.

II. Ens, de quo nihilum non absolute negari potest & quod à majori ente determinatur, atque hac ratione necessariæ non est existentiæ; Vel Ens, quod in essentia & proprietatibus, seu attributis, infinitum non est, utpote cujus magnitudo per augmentationem attingi aut superari potest, nominamus effectum seu creaturam.

III. Per vocabulum *Naturæ* intelligitur essentia Naturæ, quatenus ea naturat vel, Natura naturans: non quatenus Philosophi Deum sive Ens, extra Naturam existens, naturam naturantem nominaverint; sed quatenus essentiæ existentiæ que naturalium per naturationem naturæ ex ejus essentia emanant.

IV. Per Determinationem in essentia, & proprietatibus, intelligo circumscriptionem aut limitationem Entis existentis, ac ejus Proprietatum.

Determinatio hæc, quæ absolute considerata, infinitatis oppositum est, præcedentem in modum à me definitur, quia maxime e re est, ut hæc Determinatio accurate distinguatur ab illa Determinatione, quæ est ad existendum & operandum certa ac determinata ratione, & oppositum est illi determinationi, qua quid illimitatum est in suis operationibus, vel qua quid operatur ex principio libertatis: Neque enim sequitur, quicquid determinatum vel limitatum est in essentia & proprietatibus, illud etiam determinatum est ad existendum & operandum, certa ac determinatio ratione.

AXIOMATA.

I. QUicquid determinatum eſt ad exiſtendum & operandum certa & determinata ratione, etiam determinatum eſt in eſſentia & proprietatibus.

Notandum hic quoniam hactenus deciſum non eſt, An Creatio facta fuerit, nec ne: atque adeò adhuc in dubio permanet, Num quoque principia libertatis creata fuerint, an vero ſecus; non quidem recte concludi poteſt, quicquid determinatum eſt in eſſentia & proprietatibus, illud etiam determinatum eſt ad exiſtendum & operandum certa ac determinata ratione. Attamen his non obſtantibus, plenè ſequitur, Quicquid determinatum eſt ad exiſtendum & operandum certa & determinata ratione, illud etiam determinatum eſt in eſſentia & proprietatibus; quoniam determinatio ad exiſtendum & operandum certa ac determinatione ratione, multo arctior atque ſtrictior determinatio eſt, quam in eſſentia & proprietatibus; unde illam arctam atque ſtrictam determinationem neceſſario ante ſe requirit determinationem in eſſentia & proprietatibus; ac propterea, tanquam res plane perſpecta atque cognita, illud, Ut Axioma, à nobis hic ponitur.

II. Si res ſimilis naturæ ſibi addantur, quæ ex iis reſultant, etiam ſimilis naturæ erunt.

PROPOSITIO. I.

Natura per Individua conſtituitur, vel conſiſtit in individuis, quæ omnia naturaliter determinata ſunt, ad exiſtendum & operandum, certa ac determinata ratione.

SCHOLIUM.

QUoniam hæc Propoſitio in hac Demonſtratione permagni eſt momenti, utpote cui ſoli vis ac veritas omnium ſequentium innititur, eam, ut omnem exceptionem præſcindamus, ſolummodo claris & evidentibus locis, ex noſtri Philoſophi Tractatu petitis, probabimus atque demonſtrabimus, nequaquam dubitantes, quin hoc pacto omnes Diſſertationes, quæ in hoc Libro huic

Thesi, nempe Naturam esse Deum, superstructæ sunt, optime & solidissime confutaturi atque eversuri simus.

DEMONSTRATIO.

Veritas hujus Propositionis fundatur in Philosophi nostri Thesibus, qui sub initium Cap. XVI. pag. 175. hunc in modum, circa primum hujus Propositionis membrum, hæc habet. *Sed quia universalis potentia totius Naturæ, nihil est præter potentiam omnium individuarum simul, &c.* Ex quo loco perspicitur Authorem illic voluisse indicare, potentiam individuorum potentiam naturæ, atque adeò omnia individua simul naturam constituere. Pagina 44. hæc occurrunt. *Quia homo, quatenus pars est naturæ, eatenus partem potentiæ Naturæ constituit, &c.* Quæ verba non aliter accipi posse videntur, quam quod significent, hominem partem Naturæ esse, atque eatenus partem potentiæ naturæ constituere: & consequenter, alia Naturæ individua simili ratione partes Naturę esse,&unumquodque pro sua portione partem potentię naturæ constituere.Porro etiam omnia loca,in quibus deNaturę individuis mentio fit,ejusdem sunt roboris,quā hæc adducta. Attamen plura hunc in finem congerere, superfluum ducimus, quoniam his clariora atque firmiora concipi nequeant. Circa alterum Propositionis hujus membrum sæpissime loquitur, & peculiariter quidem eadem prædicta pag. 175. ubi ejus verba sonant. *Per Jus & institutum naturæ nihil aliud intelligo, quam regulas naturæ uniuscujusque individui, secundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo existendum & operandum.* Et pag. 44. hunc in modum differet: *Quamvis absolute concedam, omnia ex legibus universalibus naturæ determinari ad existendum & operandum, certa ac determinata ratione, &c.* Quibus in locis manifesto atque evidenter apparet hanc Propositionem omni ex parte convenire cum mente nostri Philosophi, atque adeò ei secure inniti, atque ulterius procedere licere.

PRO-

PROPOSITIO. II.

Omnia Naturæ Individua tam in eſſentia, quam in ſuis proprietatibus determinata ſunt.

DEMONSTRATIO.

QUoniam omnia illa concipimus determinata ad exiſtendum & operandum certa ac determinata ratione, (per Propoſit. præced.) hinc (per Axioma I.) plane verum atque certum eſt, omnia Naturæ Individua in eſſentia & proprietatibus determinata eſſe. q. e. d.

PROPOSITIO. III.

Natura eſt effectus, ſeu creatura.

SCOLIUM.

HUjus Propoſitionis veritatem duobus modis ſecundum duplicem Definitionem, quam de Ente ſumme perfecto dedimus, demonſtrabimus, ut ita nulli exceptioni locus ſuperſit.

DEMONSTRATIO.

CUm omnia Individua quæ Naturam conſtituunt, & quorum quodlibet in eſſentia & proprietatibus determinatum eſt (per Propoſit. præcedent.) inter ſe conjuncta, per naturalium cauſarum concatenationem, nihil aliud (per Axioma II.) quam unicum quid determinatum in eſſentia & proprietatibus conſtituant, propterea (per Definitionem I. & II.) tota natura infinita reſpectu augmentationis non eſt, nec proinde etiam Deus, ſive Ens ſumme perfectum, ſed econtrario effectus, utpote quæ non eſt exiſtentiæ neceſſariæ. Atque hoc denique demonſtrandum erat.

ALIO MODO.

QUia (per Propoſit. I.) Natura, ejusque proprietates ſeu attributa, per omnia Individua ſimul ſumpta, quolibet ſuam portionem præbente, conſtituuntur, ideo Individua, quæ fuerunt, etiam partes Naturæ conſtituerunt: Ac eadem de cauſa, etiam In-

Individua, quæ futura ſunt, pro ſua portione, partes Naturæ conſtituent; & quoniam in Individuis proceſſus locum habet, utpote ſe invicem ſuccedentibus, & quia per illum proceſſum efficitur, ut omnes poſſibiles eſſentiæ nunquam ſimul exiſtant; imo verò ut omnes poſſibiles eſſentiæ nunquam in rerum natura exiſtere queant, quia proceſſus in infinitum concipi debet: quæ infinitas non admittit, ut ultimum in poſſibilium eſſentiarum exiſtentiâ attingi poſſit: propterea Natura non eſt Ens ſumme perfectum, quoniam de Ente ſumme perfecto (per Definit. 1.) nihilum abſolute negatur, & à nullo majori determinatur, atque per ſuam eſſentiam neceſſario exiſtit, quæ omnia nullam communionem habent cum partibus conſtituentibus, neç cum proceſſu, in quo pars tantum poſſibilium eſſentiarum ſimul exiſtunt, & per quem omnes ſimul perfecte nunquam exiſtere queunt. Idcirco natura eſt Ens imperfectum, exiſtentiæ contingentis, atque adeò effectus ſeu creatura. q. e. d.

Atque ſic clare ac diſtincte nos demonſtraſſe exiſtimamus Naturam effectum eſſe, quia non aliter quam quid in eſſentia & proprietatibus determinatum conſiderari poteſt, utpote quæ conſtituatur ex individuis, quorum unumquodque in eſſentia & proprietatibus determinatum eſt, vel quia non aliter quam ut ens imperfectum conſiderari debeat; Atque adeò quod nos ſpectat, reſpectu Philoſophi noſtri Tractatus cauſæ plenè ſatisfactum eſt: Exiſtimamus enim Demonſtrationem hanc ſolidam atque firmiſſimam eſſe, fundatam ſuper locis, quæ ad Propoſitionem primam demonſtrandam adducta ſunt; Et conſequenter omnes illas rationes, quæ tam in 4 & 6. quam 16. Capitibus reperiuntur, in quibus dicitur pag. 46 *Deum eſſe Ens perfectiſſimum*, & pag. 69. & 72. *Naturam ſe ad infinita extendere, & ſub quadam ſpecie æternitatis à nobis concipi poſſe*, plane infirmas atque rejiciendas eſſe: ac proinde etiam omnes illas Diſſertationes, quæ 4, 6, 16. & ſequentibus Capitibus continentur, & quatenus huic fundamento impoſitæ atque ſuperſtructæ ſunt, nullarum virium, nulliusque ponderis exiſtimandas eſſe, utpote nullum aliud habentes fundamentum, quam quod propriis Authoris rationibus evertitur atque disjicitur. Ita ut

ut plene persuasi simus, Tractatum hunc, à nobis, eò, quo oportet, modo esse refutatum, atque infirmatum; nisi Philosophus noster omnibus illis allatis locis plane aliud quid intelligat, quam significare videntur. Ut, ex. grat. cum dicit, *Naturam constitui ex individuis, quæ omnia determinata sunt ad existendum & operandum, certa ac determinata ratione:* si non intelligat, naturam ex individuis constitui, quoniam propriæ ipsius sententiæ adversatur, naturam ex individuis constitui, fatemur, statui non posse, præcedenti Demonstratione Authoris sententiam confutatam atque labefactatam esse; Attamen è contrario affirmamus Librum hunc, respectu illarum Dissertationum, de quibus jam nobis sermo est, non tantum propter maximam ejus obscuritatem, in se confusum, atque ea ratione plane futilem atque frivolum, sed etiam ignominioso consilio esse conscriptum atque conpositum: Nam primo illa loca talia sunt, quæ ex sua natura vel se invicem destruant, vel adeò obscura sint, ut ex iis Authoris mens percipi nequeat; atque adeò, si simpliciter intelligenda sint, Liber per se ipsum erit refutatus secundum præcedentem nostram Demonstrationem: si verò non ut sonant, intelligenda sint, vel si, simpliciter intellecta, Authoris sententiæ applicari nequeant, nihilominus liber erit futilis atque frivolus; quoniam ipsa jam allegata loca, & quæ fundamentum exprimunt ac continent, quo solo confirmari debet Dei velle atque intelligere unum idemque esse, Authoris sententiam non comprehendunt neque exprimunt: ac propterea sine ullo fundamento proposita sunt: Ita ut Liber hic, isto respectu, maxime confusus, perplexus, atque obscurus existimari debeat. At secundo etiam dicendum, ipsum, hac ratione consideratum, ignominioso consilio compositum esse debere. Etenim cum hic Philosophus probe sciat, quomodo quæstio aliqua tractanda sit, quomodo mentem suam quis clare atque distincte exprimere debeat, quomodo distinctus ordo observari queat, quomodo denique fundamenta debite demonstranda sint, & quomodo ex iis progredi oporteat, necessario sequitur, Ipsum Librum hunc suum tam confusum atque præpostero ordine, tam obscurum ex ambiguis & perversis denominationibus, tam infirmum respectu Demonstrationis

fundamentorum & tam perversum in consequentiarum deductione conscribere non potuisse, quam eum tantum in finem ut veritatem, quam se habere putat, contegat, ut Judeorum Christianorumque Religiones profanet, & ut omnes Christianos ludibrio habeat atque derideat. Verum Ipsum Deo Cordium Renumque scrutatori relinquimus, cujus oculos usque in omnium rerum intima penetrantes nemo, quibuscumque etiam tegumentis involutus, effugere potest, & cui novissimo Judicii die factorum nostrorum rationem omnibus fore reddendam credimus. Quod autem ad nos spectat, sufficit, demonstrasse, omnes has Machinationes, tam quæ ad Authoritatem S. Literarum ac Revelationum tollendam, quam quæ de Dei natura, respectu fundamenti cui Religio innititur, allatæ fuerunt, frustraneas & plane rejiciendas esse. Sed ut posterius hoc adhuc clarius fiat, transimus nunc ad proponendas absurditates & improbabilitates, quæ in nostri Philosophi sententia animadvertuntur.

In antecedentibus demonstravimus, omnes possibiles Modificationes, tam in Extensione, quam in Cogitatione &c. semper existere; unde sequitur, vel potius hoc demonstratum infert, quod exempli gratia, quando alicubi exercitus centies mille hominum cæditur atque interimitur, eodem momento rursum in rerum natura centies mille homines nascantur: imo quod adulti, ejusdem formæ, indolis, & easdem ideas in suis cogitationibus habentes, esse debeant: Si enim hoc verum non est, omnes possibiles Modificationes non semper existent; & si omnes possibiles Modificationes non semper existunt, etiam omnia Naturæ Attributa secundum perfectionem suæ essentiæ non operabuntur: quod absolute pugnat cum summa perfectione, quæ Enti, quod ex necessitate suæ naturæ operatur, necessario attribui debet: Propterea semper æque multi homines, æque multæ bestiæ, æque multum frumenti &c. esse debebunt; iisdemque semper ejusdem formæ, indolis, virtutis, magnitudinis, conatus, easdemque habentes ideas, &c. semper esse debebunt, & ut uno verbo rem expediam, quicquid unquam est, id semper est. At hoc statuere, meo quidem judicio, absurdum & summe improbabile est: Quid enim

im-

improbabilius, quam, exempli gratia, ſemper æque multas fæminas gravidas eodem modo terreri, atque inde monſtrum concipere atque parere, quorum accrementa, formæ, atque temperamenta ſemper uniuſmodi ſunt; Sane ſiquid improbabile reperitur, huic opinioni atque Theſi præ reliquis ſummus concedendus erit locus.

Alterum etiam non parum ſcrupuli habet, nempe nihil in Cogitatione reperiri præter illam Viſionem, quæ determinatur per ideas: Verum quidem eſt, nondum à Viris doctis, imo ne quidem ab ipſo Carteſio, Geometrice demonſtratum eſſe, in Cogitatione Actiones eſſe, quæ abſolutam Libertatem pro ſuo principio habent: Nihilominus tamen de tam clara & diſtincta perceptione iſtius Libertatis locuti fuerunt, ut nulla ipſis id negandi poteſtas relicta fuerit. Et profecto cui perſuadere poterimus, nullam omnino liberam directionem circa illam Viſionem animadverti, cum quilibet admodum clare experiri videatur, ſe ſuam Viſionem dirigere ad hanc vel illam ideam, ut, exempli gratia, ad ſuam cognitionem augendam, vel ad hoc aut illud contemplandum, &c. Cui inquam, illud perſuaderi poterit, cum omnes homines, ut ita loquar, quotidie multoties hujus in animo ſuo convincantur: Et tamen omnis Libera directio circa Viſionem, per hanc Theſin, plane ſecluditur, quoniam omnes ideæ, quibus Viſiones determinantur, per æternam neceſſitatem ex proprietate Viſionis emanant.

Sed adhuc aliquando propius hoc excutiamus, ac videamus, num omnia hæc ullo fundamento ſubnixa ſint. Tanquam firmum ſtatuimus, omnes Viſiones per ideas determinari, quia nullæ actuales Viſiones concipi poſſunt ſine determinationibus, quæ determinationes ideæ ſunt: Sed hinc dicimus nequaquam ſequi, non eſſe prius principium, quam illam Viſionem: Nam, cum iſta Viſio actuoſitas ſit, etiam Subſtantiam, in qua ſubſiſtat, requirit, quæ quidem Subſtantia principium eſſe poſſe videtur, quod ſua natura ſciens aliquam directionem circa illas Viſiones habeat: cui etiam non parum veriſimilitudinis accedit, quia clare experimur, ex Viſione vel perſuaſionem, vel dubitatio-

nem, atque hinc rursum gaudium vel tristitiam oriri: Quæ omnia proprie Visiones non videntur esse, & horum occasione videtur, aliquam directionem circa Visiones, quæ ista sequuntur, provenire, cujus ego unumquemque satis persuasum esse debere existimo. At quid hæc ulterius persequi opus est, cum multi clarissimi atqui doctissimi Viri omni ævo multa de his conscripserint, & noster Philosophus adhuc nihil eorum refutaverit, nec contrarium demonstraverit. Manum itaque de tabula tollimus, satis superque fecisse existimantes, quod profanum ejus Tractatum plene enervaverimus, contrariam veritatem ex ipso adstruxerimus, & deinde etiam absurditates, quæ ex illa sententia nascuntur, ob oculos posuerimus: ita ut speremus, laborem nostrum omnes Christianos in sua religione confirmaturum, cui benedictionem ut addat Deus Opt. Max. ex intimo corde precamur.

FINIS.



